

## **Disputatio inauguralis medica de angina / [Simon Andreas Becker].**

### **Contributors**

Becker, Simon Andreas, active 1676-1678.

Crause, Rudolf Wilhelm, 1642-1718.

Universität Jena.

### **Publication/Creation**

Jenae : Typis Samuelis Krebsii, [1678]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zpf8qm6k>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

SUMMO ARCHIATRO BENEDICENTE!  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
MEDICA  
*DE*  
**ANGINA,**  
*Quam*  
Autoritate & Suffragio  
MAGNIFICI SENATUS ASCLEPIADEI  
in illustri Academia JENENSI,  
*P R A E S I D E*  
DECANO FACULTATIS SPECTATISSIMO,  
**DN. RUDOLPHO WILHELMO**  
*Grauß /*  
Phil. ac Med. Doct. Practicæ & Chymia  
Profess. Publ. Ordinario, ac Seniore gravissimo,  
necnon S. R. I. Academ. Naturæ Curiosorum  
Collega primario,  
*Domino Patrono & Præceptore suo colendissimo,*  
**PRO LICENTIA**  
DOCTORIS MEDICI Honores, Privilegia & Insignia  
solenniter more Majorum obtinendi,  
publico examini subjiciet  
**SIMON ANDREAS BECKERUS,**  
Hallensis Saxo.  
In Auditorio Majori  
*ad d. XVI. Martii horis pro- & pomerid. A. O. R. M DC LXXVIII.*

---

*J E N A,*  
Typis SAMUELIS KREBSII.

REVERENDISSIMO. SERENISSIMO.  
CELSISSIMOQUE.

PRINCIPI. AC. DOMINO.

DN.AUGUSTO.

ARCHEBISCOPATUS. MAG-  
DEBURGENSIS. POSTULATO.

ADMINISTRATORI.

PRIMATI. GERMANIAE.

DUCI. SAXONIAE. JULIACI. CLIVIAE. ET. MONTIUM  
LANDGRAVIO. THURINGIAE.

MARCHIONI. MISNIAE. AC. SUPERIORIS. INFE-  
RIORISQUE. LUSATIAE.

COMITI. DE. MARCA. RAVENSBURG. ET. BARBY.  
DYNASTÆ. IN. RAVENSTEIN.

PATRI. PATRIÆ. AUGUSTISSIMO.

PRINCIPI.

PIO. JUSTO. PACIFICO.

DOMINO. SUO. CLEMENTIS-  
SIMO.

HOC. INAUGURALE. SPECIMEN.  
SACRUM. ESSE. JUBET.

REVERENDISSIMÆ. ET. SERENISSIMÆ  
EJUSDEM. CELSITUDINIS.

SUBJECTISSIMUS.

SIMON. ANDREAS. BECKERUS.  
HALL. SAXO.

# *Acclamations Votivæ*

*Patronorum qvorundam & Fautorum in Patria.*

**D**ulce laboris onus, seqvitur qvod dulce brabéum,  
Gratulor hanc Laurum, Laurus honorqve favent.

*Nobil. & Clarissim. Dn. Candidat.*

*scribeb. Hall. Saxon.*

*In tesseram Amicitiae & infucati amoris*

## **Johannes Sieboldt / M. D.**

Archiater Saxo Magdeburg. Physic. Provincial.

Gymnas. August. P. & Alumnor. Ducal.

Academ. Inspector.

**A**NGINA, pestis illa, faucium prensos  
angens meatus, spiritumqve præcludens  
properè ruentem, cernitur satis dira,  
tuo libello pernicis mali causas  
hic eruente ; nec tamen potestate  
vagatur illa liberâ, salutisq;  
medicamen ipse Tull simul bonum tradis  
**BECKERE**, felix Candidate, surgenti  
animæ recludens inviam viam. Fallor ?  
an sic recludis maximum tibi campum  
tu&q; famæ, qvò meet? mees gressu  
graduq; felix, patri&q; pòst prosis!

gratulabundus scrib.

## **Christophorus Enaut / D.**

Hallenium Physicus Ord.

Seneca in Epistol.

*eregrinatio non facit Medicum, non Oratorem, nulla ars loco discitur.*

**O**rbis urbes angulosqve, patriaqve disitos  
permeare rite certè possumus latè locos,

Sole

Sole possumus remoto maximè calescere,  
lege vulgi si relictâ commodè calescimus.

Ille verò vanus ausus, ille turpis ausus est,  
qvo putamus sat fecisse, pulchra si percurrimus  
urbium locata tecta, siqve muros cernimus;  
qvo videre, qvo referre perstudemus unicè,  
qvid coloris, qvid favoris, qvid nitoris præbeant  
turba, terra, turris, ora, qvidvē consuetudinis;  
interim parum tenentes, sparta nostra qvæ jubet.

Error ille, lusus ille, lapsus ille mentium est,  
mente rudes, mente tardi qvo Parentes linquimus  
certa maximo meatu commeantes per loca,  
nec valemus interesse coetibus prudentium  
insciiqve turbidiqve plurimâ dementiâ;  
qvo putamus haud potesse patriam perquirere,  
nos quod instruat benignè, qvoqve multis prosumus.  
Error ille: nulla namqve pars *loco perdiscitur*  
*arsque nulla*, nulla certè; mente cuncta prendimus.

Rectus ergo, pulcher ergo, qvem premis callem pede,  
*Suavis o Affinis*, ipse qvem Machaon deamat.  
Scilicet mentem revisis, hancqve pulchrè præparas,  
Orbis anteqvam remotos angulos perambules.  
*Myrrha, Singultus ḡ testis, testis Anginae dolor,*  
testis est lucerna noctis de tuis conatibus.  
*Jena laudat, laudat Halla, laudat alma Lipsia.*

Unus ipse, trinus ipse, Summus hujus Arbitr<sup>e</sup>  
Universi, qvæso, cunctos dirigat gressus tuos.  
Sic abibis, sic redibis, sic eris prosperrimus,  
sic valebis, nec nocebis, sicqve cunctis proderis!

Ita Nobilissimi DNI Doctorandi, Affinis atq; Fauto  
suavissimi, meritissimis honoribus ac propedier  
futuris peregrinationibus priscum felix ac fau  
stum acclamat

Dietericus Gebhardus Walburger/

PRÆL



## PRÆLOQUIUM.

**V**itam & famam pari passu ambulare, in vulgari dicitur verbo; neque id injustè: cùm Vir bonus, estimationem suam nomenque honestum pensi habens, utriusque jacturam pariter æstimet; imò hujus vel defendendæ vel ampliandæ etiam gratia vitæ ipsius sàpè prodigus sit.

A verò haud aberrabit ille, qui verbulo mutato *Vitam & Respirationem pari passu ambulare* afferet. Hujus enim quanta sit necessitas ad motum sanguinis circularem conservandum, à cuius perennitate vitæ salus dependet, vel me tacente experientia ipsa loquitur.

*Antalcides Sophista* cuīdam, Herculis encomium recitare studenti, respondisse fertur olim: *Quis illum vituperat?* Supervacaneum existimans in eo laudando insūmere operam, quem uno ore prædicarent omnes. Vereor, ne si in demonstranda respirationis necessitate & utilitate jam operosus essem, alter mihi objiceret: *Quis hæc negat?*

Quò nobilior verò hujus usus, eò periculosior læsio, & gravior inde resultans noxa est; sive affectis partibus principaliter ipsi inservientibus intercipiatur respiratio, ut in peripneumonia; sive occluso ductu, per quem aër meare ac remeare debet, ut in angina; seu impedito ob influxum spirituum denegatum motu thoracis, ut in apoplexia fortí; seu quacunque demum de causa contingat hæc difficultas.

Quilibet ex his affectus peculiari dissertatione dignus est; placuit tamen hæc vice, ubi Jussu GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ SPECIMEN INAUGURALE mihi producendum in publicum, tristandam feligere ANGINAM, affectum fauciū, ut *Magnus Rolfincius* vocat, celebrem, & si strangulationem, quâ interimit, spectes, maximè crudelēm; ac quomodo citam, tutam & jucundam, miserrimo hoc malo afflictis ferre possimus opem, brevibus monstrare.

Romani olim Deæ, *Angerona* dictæ, sacra instituisse feruntur, cùm anginâ pestilenti omne genus animalium interiret; cuius Numen etiam miseri his in casibus implorârunt. Nos, qui ex Sacris literis de abominanda hac Idolomania ejusque vanitate meliora edocemus, hanc gentilium cœcitatatem deploramus, & potius à calamitatibus morbisque variis pressi ad illum configimus, qui & ipse in Verbo suo Medicum nostrum se salutat, & quamdiu in terris his ambulavit, non animarum modò salutem promovit, sed & corporum sanitatem multis miraculose restituit.

Idem Summus Archiater conatibus meis, his æquè ac futuris, ex alto clementer benedicat, ut felici semper successu, exoptatoque eventu coronentur.

§. I. ANGINÆ natales more recepto priùs consideraturi, diversas Autorum opiniones offendimus, dum alii à Latinorum ango deducunt, eò quod fauces ac ægros angat suffocatione: alii verò ab augendo, ob tumorem, quem in partibus affectis, hinc auctis, excitat. Sunt tamenq; ui à Græcorum *ἄγχον* dictam putant, quod laqueum vel suspendium significat, & ab *ἄγχω* (unde & juxta hos Latinorum ango,) strangulo, suffoco, derivatur, ut ita unâ eademque voce, *ἄγχον* nempe, & morbum nostrum & suspendium Græci vocârint, teste *Jos. de Aromat. Tr. de rube contag. p. 43.* quoniam idem ferè experiantur fatum anginosi, quod scelerati homines, qvùm injecto circa collum laqueo strangulantur. Hinc cùm verbum *απίγχασθαι* & de Judæ proditoris interitu *Mattb. 27. v. 5.* & de Achitophelis morte *2. Samuel. 17. v. 23.* à LXX. adhibetur, dubitant nonnulli, laqueone & suspendio sibimetipsis vitam eripuerint isti, an potius ex mœrore affectu nostro extincti sint; de quâ controversia, cùm nostri instituti non sit, evolvantur *Fessel. Adversar. Sacr. lib. I. c. XI. p. 63.* & *Dilherr in dem Leben Jesu und seiner Jünger. p. 634.*

§. II. In Græcorum, præsertim recentiorum, scriptis varia occurruunt vocabula, sc. *κυνάγχη* & *συνάγχη* (quæ etiam ab Hippocrate in masculina terminazione usurpantur) item *παρκυνάγχη* & *παρσυνάγχη*, quibus Anginæ species exprimere voluerunt. Sed cùm speculationibus hæc magis innitanter, quam Praxi; meritò hanc de literis contentionem, tanquam minùs utilem, cum *Galen. 3. progn. text. 18. & 4. de vict. mt. text. 30.* parvi facimus. Interim qui de hiscē deno-

'denominationibus quædam nosse avet', adeat Sennert. lib. 11. Prax. part. 1. c. 24. p. 91. & 95. Apud Latinos duo præcipue occurunt nomina, *Angina* & *Prunellæ*, à quo posteriori herbæ alias notæ, *Prunellæ* vel *Brunellæ*, nomen inditum ajunt, quod huic affectui præ aliis omnibus conferre creditur, sicut & apud Chymicos Om̄ cum  $\Phi$ e paratum ob eundem effectum Θ & lapis *Prunellæ* audit; vid. Sylv. lib. 1. Prax. c. 29. §. 84. & 85. p. 448. Ab aliis vocatur *morbus suffocans*, *anginosa passio*, *præfocans abscessus*, *gutturis tumor* &c. Barbarum verò vocabulum est *Squinantia*, unde procul dubio Italorum la Schinantia & Hispanorum Esquinancia deducta. A puniceo-nigricante seu fusco lingvæ colore Germanis communiter audit die *Brâune*/ cui Latinorum fuscedo respondet, & eo ipso cum morbo Hungarico à non nullis confunditur, quod in eo *angina*, ceu fidus comes, frequens adsit; Specialius vocabulum est die *Herzbrâune* / de quo §. 16. Dicitur etiam das *Halsgeschwûr* / & à Dilherro die *Kehlsucht*.

§. III. Quamvis verò, si vim vocis ac derivationem consideres, omnis suffocatio *Angina* salutari possit, ex usu tamen loquendi propriè & in specie illa hoc titulo gaudet, quæ salvis thorace & pulmonibus faucium inflammatione afflit. Hinc *anginam notham* ex Veterum mente talem, quasi scilicet absque inflammatione faucium ea contingeret, nullam agnoscimus, quum in illa quoque ejus præsentiam ex propriis ipsorum verbis §. 6. evicerimus. Videtur quidem Hippocrates 6. epid. sect. 7. t. 1. inter faucium inflammationem & anginam distingvere, acquiescimus tamen in accurata explicatione Sennerti l. c. unicum hoc monentes, nec inflammationi aliarum oris partium anginæ, nothæ licet, nomen tribui posse, si propriè magis loqui placeat.

§. IV. Commodè hæc ipsa describitur, quod sit *Faucium angustia*, *deglutitione ac respiratione magis vel minus difficulti*, aliisq; symptomatibus molesta, ab inflammatione earundem dependens. *Angustiam* adesse vox ipsa innuit & patientum querelæ testantur, quos strangulationis metu interdum maximè angit, dum iter aëris & commeatūs intercipere tentat. Omnibus verò morborum generibus certo respectu annumerari posse Anginam constat; Morbum namque *intemperiei* & *inflammatio præfens*, & febris, quæ ipsi interdum conjuncta, indicant: sicut ratione *tumoris in magnitudine aucta peccat*, & dolor affligens

*fligens solutionis continui index est. Symptomatum quoq; classi inse-  
ri potest, dum actiones deglutiendi & respirandi lædit, coloremque  
faucium naturalem immutat.*

§. V. *Sedem ergò principalem sibi eligit Angina in faucibus,*  
per quas ex clarissimorum Autorum mente intelligimus concamera-  
tionem illam & capacitatem interiorem oris, ubi gutturis & gulæ ini-  
tium visitur, seu, ut *Hornius in Microcosm.* §. 16. explicat, commune  
iter ad asperam arteriam & gulam, quod *Græci iαθυόν* vocant ob loci  
angustiam. Maximè verò ibidem *musculi laryngis & œsophagi* affici  
solent, nunc separatim, nunc magis conjunctim, quorum nomina &  
officium heīc explicare nimis longum foret, quum ex Anatomico-  
rum scriptis facile peti possint, ex quibus præ aliis se commendat *Ce-  
leb. Bartholini Anatomia p. 419. & 448.* vid. etiam *Riolani Encheirid.  
Anatom.. lib. V. p. 395.* Interdum per œsophagum repere solet inflam-  
matio, ac *orificium ventriculi superius*, ob nervos ibi implantatos  
summè sensile, afficere, unde species illa, *die Herkbræune* dicta, e-  
mergit, de qua §. 16. Nec tamen excludendas putamus vicinas par-  
tes, in specie *tonsillas & columellam*, *musculos item ossis hyoidis*, & qui  
sub radice lingvæ siti sunt &c. Quamvis enim horum phlegmone,  
si sola existat, Anginæ nomine non veniat, licet & ipsa suffocationem  
quandoque minetur; quum tamen & illa, si latius serpat, ac faucium  
musculos in consortium trahat, affectum nostrum inducere possit, læ-  
pe etiam in angina ad eas se extendere soleat inflammatio, *subjecti  
adæquati* vicem gerere possunt. Quò etiam referendi colli musculi  
cum adjacentibus, qui non rarò, si ad exteriora magis vergat, rubore  
insigni conspicui sunt.

§. VI. *Causam immediatam agnoscit Inflammationem*, quam in  
omni Angina adesse experientia rationi juncta demonstrat, licet pro  
varia sangvinis ac seri constitutione nunc pura illa sit, nunc erysipe-  
latodes, œdematodes &c. *Ortum* verò hæc habet ex sangvinis puri,  
vel particulis alcalinis, volatilibus,  $\Delta$ eis, similibusque inquinati,  
motu circulari impedito, indeque natâ stagnatione, unde mox spon-  
tè excandescit ille & caloris sensum molestum in parte sensili produ-  
cit, dum enim in vasis suis partibusvè quibusvis aliis subsistit, mox  
incipiunt ex eo evanescere partes uofæ magisq; volatiles ac sub-  
tiles, tum acidas, tum  $\Theta$ inas temperare solitæ, unde utræque acri-  
ores

„ores factæ acriùs in se mutuò insurgunt, effervescentiamq; ob partes  
„oleofas præsentes calidam, inflammationemque excitant, ceu ele-  
„ganter hæc deducit *Sylvius lib. 1. Præx. c. 40. §. 15. p. 681.* Idem ex  
sangvinis viscidi & pituitosi, aut lymphæ in glandulis coagulatione  
ac stagnatione malum emergit, eò ipso enim acredinem acquirunt,  
quæ pungit & rodit, hincque calorem, dolorem ac consequentem  
inflammationem inducit. Pejor adhuc emergit status, si vel parti-  
culis fixis, salinis, acidis & fluorem adeptis ~~¶~~ eis inquinatum sit se-  
rum, vel cum minori seri diluentis quantitate Θia acria, acerba, au-  
stera, pontica, ~~¶~~ abundantius biliosum explicant & corrumpunt;  
quâ ratione melancholiam & atram bilem Veterum eruditè explicat  
*Excell. D. D. Wedelius, Patronus meus ac Præceptor summè colendus, in-*  
*Theorem. Med. p. 43. & 44.* Sunt quidem, qui in angina, hinc illis  
notha dicta, quod à pituitosa ac frigida, ut vocant, defluxione à capi-  
te in fauces oriatur, inflammationem adesse negant, interim sva-  
dent in curationis methodo, humorem, qui affluxit, si discutientibus  
non cedit, maturandum & deinde evacuandum esse. Ait eò ipsò  
inflammationis præsentiam concedunt, dum vix ullam humoris ma-  
turationem & suppurationem fieri posse putamus, nisi hæc ipsa præ-  
cesserit, quamvis minorem esse eam, ac in angina sangvinea aut bi-  
liosa, ambabus largiamur.

§. VII. Colligitur autem materia peccans per *ρευματισμὸν* seu  
influxum cum impetu & confertim factum, rariissimè per *συναθρο-  
σμὸν*. Quamprimum enim natura ex humore quodam (seu quantita-  
te peccet ille, seu qualitate, seu motu) sensum molestum percipit,  
irritatur, & per *ωσην* ad partem certam mittere tentat illum, quæ igi-  
tur imbecillis est, vel ad fluxum recipiendum disposita, totius vitia  
luere cogitur. Hinc si v. g. sangvis in majori copia ad fauces, quæ  
ob laxitatem carnium à perpetua glandularum illuvie contractam,  
ex sua constitutione imbecilles sunt, per arterias impetuose ruat,  
quam per venas remeare potest, necessariò stagnat ille, & per  
*Ξλέξην* calore ac dolore promotam major affluxus cietur. Præterea  
cum partes hæ copioso vasorum lymphaticorum agmine gaudeant,  
glandulis plurimis instructæ sint, ac torosam & porosam substantiam  
habeant, facile à frigore externo aliisque causis sangvis illuc illapsus  
vel serum coagulari potest, observante id ipsum sæpius *Celeb. Wedelio.*

§. VIII. Famosam Veterum sententiam, quasi nimirum à capite & cerebro per foramina ossis cuneiformis aut cribiformis delabatur materia vitiosa, operosè refutat Excell. D. Schneiderus in Volumine suo de catarrhis, ac in specie lib. III. sect. 1. c. 6. p. 200. Ubi etiam Sennerti explicationem quæst. 2. p. 124. propositam ( quasi humorum excrementitiorum in cerebro collectorum pars ad vasa regurgitet, siq; ad faucium & gutturis venas per jugulares defluat, anginam ibidem causetur ) rejicit; magis veritati consonum judicans, de inferiore corpore materiam calidam per arterias in laryngis musculos confluere, ut hoc morbi genus inde nascatur. Similiter lib. cit. sect. 2. c. 5. & 6. fusè probat, liquorem illum, qui per laryngis ut & gulæ vasa & tunicas continuo trans sudat, non à cerebro; sed ex arteriis arcessendum esse. Attamen per dictum os cribiforme non omnem lymphæ transitum denegandum esse, in Disp. de Catarrhis publicè Anno 1675. habita §. 12. demonstrat Professor Lipsiensium famigeratissimus Dn. D. Bonnius, Patronus ac Praeceptor meus observandus. Helmontii opinionem, qui ex latice corrupto deducit, ex variis locis, ut Tr. latex humor neglegens §. 25. p. 304. Catarrhi deliram. §. 39. p. 354. item Retenta p. 498. &c. collectam recenset D. Fr. Hoffmannus, Archiater quondam in Patria felicissimus, in Opere suo de Methodo Medendi p. 306. Singulare quid fovet Andr. Casalpinus, dum lib. II. quæst. med. 12. demonstrat, suffocationem in angina fieri magis oppletis venis jugularibus, quam clauso laryngis osculo; idque approbat M. Aurel. Severin. Tr. de efficaci Medicina p. 53. Qui ex Chymicorum principiis ejus originem arcessunt, nunc  $\Delta$ i coagulato, nunc  $\sim$ ui  $\S$ iali  $\neg$ tato, aliisque ascribunt, de quibus evolvantur horum scripta.

§. IX. Qvum verò omnia ea, quæ quovis modo, remotissimè licet, fomitem huic malo ac ansam præbent, sub nomine causarum in Scholis Medicis accusentur; placet illa juxta communes rerum naturalium, non-naturalium, ac præternaturalium clasles recensere. Ubi ex naturalibus statim se sistit Temperamentum, quod uti ex sanguinis & seri dispositione varià resultat, ita, si vel particulæ oleofæ balsamicæ cum  $\Delta$ eis biliosisque abundant, vel serofæ cum  $\Theta$ inis, acidis & similibus conspurcatæ sunt, ceu §. 6. dictum, magis aptum erit. Corpora calidiora, humidiora ac molliora, quibusque caput infirmum & imbecille, huic affectui magis obnoxia esse, hincque frequenterius

tius anginas epidemias puerorum occurrere, statuit Renatus Moreau  
in Epist. Barth. Med. 71. Cent. 1. p. 338. Facillimè ii. lœduntur, quibus  
fauces ex naturali vel externò vitiò debiles ac laxæ nimis existunt.  
*Juvenes* ob pleonexiam humorum & diætæ errores crebrius angit; *Vi-ros*  
autem magis affigit ea, quæ ex sangvine, sicut *fœminas*, quæ ex se-  
ro ortum habet, Inflammatio; has enim viris ferosiores esse ac frigi-  
diores, si non temperamento innato, tamen adscititio, asserit Excell.  
*Wedelius* in Theorem. cit. p. 16. Confer Sennertum l. c. p. 93.

§. X. Inter non-naturales primum occupat locum Aër, cuius ex-  
cessum in caliditate & frigiditate cum Jos. de Aromat. Tr. cit. p. 50. ac-  
cusamus. Æstus namque teneras hasce partes magis rarefacit, & san-  
gvinem illuc invitat, qui, fibris laxatis, hinc impetu majori influit,  
quam recipi potest, unde in motu suo turbatus stagnat; ceu accurate  
hoc docet nunquam sine honoris præfamine mihi nominandus D. D.  
*Wedelius* in Colleg. Patholog. privato, ex quo plura me hausisse gra-  
tus profiteor. Frigus verò, dum in fauces admittitur, coagulando  
id præstare, §. 7. demonstratum. Humidam & pluviosam ejus  
constitutionem, statumque austrinum culpat Hippocr. 3. aph. 16. Im-  
primis tempestatum inæqualitas noxia, dum à calore partes laxan-  
tur, humoresque ad concitatiorem motum impelluntur, qui postmo-  
dum à frigore subitò superveniente maximò cum damno fistitur.  
Hinc cum Vere, magisque Autumno, nulla sàpè constans aëris tem-  
peries observetur, non mirum, his anni temporibus, attestante  
*Hippocr.* scđt. cit. aph. 20. & 22. frequentius grassari anginas; quamvis  
nec æstas & hyems ab hoc malo immunes, præsertim si eadēm ἀνομα-  
λίᾳ gaudeant, aut excessu peccent. Quam gravis ex subita post in-  
calecentiam nimiam refrigeratione quovis modo facta, seu cor-  
pus sudoribus diffluens aëri nudo exponatur, seu frigida superbiba-  
tur &c. in delinquentes redundare possit noxa, præter experientiam  
quotidianam observationes Deckeri Exerc. Med. Pract. p. 62. & 110. Bin-  
ningeri Cent. IV. obs. 67. p. 440. aliorumque clarissimorum Autorum  
abundè testantur, stabilitque autoritas Experientissimi Sylvii, qui san-  
gvinis & pituitæ coagulationem à frigore aëris, & potus aliorum-  
que, partes priùs calentes subitò infestante, oriri statuit l. c. §. 9.  
& 10. p. 678. Præprimis *anginarum epidemiarum* causa primaria  
est aër, contagii vehiculum. Qyum enim, ut verba Renati Mo-

„reas in Epist. cit. mea faciam, populares morbi communem causam habeant aërem inquinatum & infectum, is verò ob respirandi necessitatem eatque redeatque viam toties per fauces & asperam arteriam, malignitatis suæ vestigia partibus istis imprimit. Hinc cùm ob aëris, aquarum & vini generosioris conditionem in Hungaria endemium quasi malum sit morbus inde dictus Hungaricus, isque sociam sibi fidelem adjungat Anginam, nec hoc morbi genus infrequens ibidem visitur, uti militum Germanorum, quamprimum has regiones ingrediuntur, strages inde facta comprobant.

§. XI. Alterum eorum, quæ ad vitam summè necessaria sunt, *cibus* & *potus* est, quorum legitimus usus uti sanitatem & corporis vigorem tuetur integrum, ita si vel in *quantitate* excessus fiat, vel *qualitas* noxia sit, vel *modus* utendi non rite observetur, lœsiones inde gravissimæ exoriuntur. Sic qui genialiter vivunt, corpus cibis ἐνχύμοις ήδη ἐνπέπλοις satiant, vino simul generosiori ac πολυφόρῳ sèpius inebriantur, sangvinis copiæ ejusque accensioni, & hinc oriundæ anginæ fores aperiunt patentes, quô nomine & alimenta calidiora & aromatibus nimis condita taxantur. Venenata, stringentia, acriora, ut fungi venenati, solanum furiosum bacciferum, Bella donna Italis dictum, arum, laureola, & similia è ratione censem hunc subire possunt, quatenus sangvinis fluxui ad fauces & inde excitatæ inflammationi ansam dant; de quo vid. Sennert. quest. 3. pag. 125. Sic & hydrargyri inunctioni nonnunquam anginam supervenire, testatur *Hercul. Saxonia Tr. de lue* q̄ea pag. 337. dum serum in corpore coagulatum, seu pituitam liquando & fundendo agunt *χαλια*, faucibusque peculiariter infesta sunt. In utendi modo delinquitur, dum v. g. post nimium æstum statim plenus *χα* vel cerevisiæ frigidæ haustus ingeritur, cuius noxam §. *preced.* monstravimus.

§. XII. Nec minus damnum ex motu nimio resultat, dum humores, spiritusque exagitando calorem in corpore auget, sangvinisque fluxum accelerat. Hinc in cursu, saltatione, equitatione, similibusque exercitiis modus non excedatur. Impri- „mis metuenda angina in eo, cui guttur ex multo sermone aut vocife- „ratione redditum imbecillius, quod illuc potius, quam aliò fluxus „feratur, idque multò magis, si frigido in loco orationem habuerit,

docente Desider. *Jacotio Comm. in Coac. Hippocr.* p. 697. Hinc cum  
Demosthenes, summus ille Atheniensium Orator, aliquando Milefiorum legatis in foro acriter respondisset, ac post ab iis corruptus esset, altero die in publicum prodiens, lanâ multâ collum cervicemque circumvolvit, simulans se anginam pati, ne iterum illis contradicere deberet, sed alter fraudem subesse suspicans, verè & falsè ei objecisse fertur, non *anginam ipsum pati*, sed *argentanginam*, seu ut Gellius effert, non *synanchen esse*, sed *argyranchen*. Vid. *Noct. Attic. lib. XI. c. 9. p. 269.*  
& *Matth. Theatr. Histor. p. 177.* Sic ex Hippocrate annotat Ludov. Duretus, multos qui voce contenderant clamando ad ravim usque anginosos fuisse, alios qui manu diu multumque laborârant in opere faciendo, multos etiam, qui citatis equis longum iter fecerant; *Comment. in Coac. p. 234.* Ex *conatu nimio in partu malum hoc evenisse in puerpera*, quæ inde occubuit, observavit *Platerus Tom. II. Prax. Med. p. 341.* Quomodo in infantibus à *clamoribus immoderatis oriri possit*, eleganter demonstrat *Langius in Colleg. MS. de morb. infantum c. 15.* Raucedo enim proles nimii clamoris; si hæc ulteriori clamore exacerbetur, dolorem facilè adipiscitur comitem; dolori verò associatur affluxus humorum, hinc intumescentia & incandescentia major vel minor. Huc etiam *Vigilias*, si modum excedunt, referimus, quatenus & ipsæ humorum agitationem promovent, spiritusque absumento serum acrius reddunt. Inter *animi verò pathemata* illa potissimum heic attendenda, quæ humores ac spiritus à centro ad circumferentiam plus justo cident, ut gaudium nimium, ira & excandescentia cum vociferatione, &c.

§. XIII. Restant *Excreta & Retenta*, quæ ultimum quidem in consideratione obtinent locum, licet ratione effectus subseqvi cum reliquis de principatu contendant; dum enim humores, qui alias legi naturæ è corpore eliminari deberent, quacunque de causa restitant, naturam mole sua aut acrimoniâ offendunt, quæ hinc commota, eos de se ablegare intendit, unde ad fauces propulsi pessimum hunc affectum dignunt. Sic si *Daris tributi* solutio à fœminis differatur, vel *lochia* post partum non ritè fluant, vel alia sveta evacuatio supprimatur, fauces sèpius pœnam sustinere coguntur, uti exempla in Practitorum scriptis, qui Observationes concinnârunt, plurima prostant. Maximè verò *Hæmorrhoidum suppressio* experientiâ multiplici D. Pauli

*de Sorbait* in causa, qui id ipsum Viennæ centies se observasse scribit; *Med. Pract.* p. 304. & 306. ubi haec adnectit verba: *Hic experto mihi crede Roberto.* Idem periculum timendum ex neglectâ V. S. purgatione, aliisque remedii antehac statu tempore celebratis. Imò nec consuetudinem, deterior licet sit, subito mutandam esse, memorabili exemplo anginæ ab usu Tabaci neglecto ortæ confirmat *Binninger. Cent. II. obs. 50. p. 183.* Natura namque per longum tempus assveta hujus ope serum superfluum per fauces eliminandi, etiam post ejus intermissionem illuc misit, quod verò more solito non evacuatum stagnavit, hujusque mali causa exstitit; unde *Hippocratis* monitum *sect. 2. aph. 51.* sedulo his in casibus observandum.

§. XIV. Ad causas occasioales porrò spectant percussio partium prope fauces, violenta colli constrictio ac intentata suffocatio, aciculae vel spinæ piscium deglutitæ, si gulæ infixæ hæreant, & similia, quæ dolorem & calorem excitando humores ad partes has invitant. Sic etiam lotio capitis intempestiva aut plenò corpore instituta, nimia capitis obvelatio vel nulla &c. Verbo: *Omnia ea, quæ humores ad motum inordinatum quavis ratione compellere valent, huic causarum classi inseri possunt.*

§. XV. Ex Præternaturalibus febres ardentes & malignæ interdum, ac omnium frequentissimè *Hungarica*, conjunctam habent anginam; ceu etiam §. 2. & 10. monitum. Quo pertinent anginæ illæ pestilentes & epidemium in morem crudeliter grassantes, quarum meminére *Cel. Barthol. Cent. 1. Epist. Med. 49. p. 205. & Epist. 51. p. 215.* *Wierus lib. Observ. Medic. rarar. p. 53. & seqq. Forestus 6. Obs. 2. schol. & plures alii.* In dysenteria epidemia aliquoties eandem observavit *Excell. Wedelius*, exemplumque habet *Hildan. Cent. III. Obs. chir. 27.* cuius rei rationem reddit *Hanc Nobil. Schneiderus*, quod venæ humores revitant in venam cavam, de hac eos hauriant arteriæ & ad partes propellant, *lib. 3. de catarrb. p. 201.* ubi etiam ex *Hercule Saxonia* adducit, nonnunquam *hemicraniæ* sociari eandem. Ex vicinarum in ore partium inflammatione oriri posse §. 5. dictum. Lethalem in *morbillis igneis* (*der Friesel*) vidit *D. Daniel Winclerus Ann. VI. & VII. Ephemer. German. Obs. 42. p. 76.* uti pleuritidi junctam *Platerus lib. II. Observ. p. 419.* Vertebræ luxationem meritò huc trahimus, quæ compressione fauci dolorifica malum hoc inducere potis est. Quamvis enim pleri-

plerique Autorum anginam inde ortam pro peculiari specie vendi-  
tent, nos tamen hujus multiplicationis vix sufficientem videmus ra-  
tionem: alias tot constituendæ essent species, quot causæ ejus diver-  
sæ. De *Hydrophobia* idem esto judicium, quam in omnibus ferè cum  
angina coincidere probare conatur *Jos. de Aromatar. c.l. & ex eo Cl.D.*  
*Meibomius in Disput.* peculiariter ab *H. Grube de med. simpl. cognosc.* p. 112.  
allegatâ; cùm verò *Rolfincii* nostri experientia Anatomica obstat, qui  
*Tr. de affect. capit. tit. de Mania* testatur, se in tribus à morsu canis  
rabiosorum cadaveribus dissectis nulla in faucibus deprehendisse in-  
flammationis vestigia, dubia hinc redditur sententia hæc; unde iis  
potius, quæ comitem interdum habent anginam, annumerare placet  
eandem. Interim de mirabili hoc affectu legi meretur elegantissi-  
mus laudati *Jos. de Aromatar.* Tractatus, neque enim brevitatis stu-  
dium permittit, omnia ejus phænomena heic explicare.

§. XVI. Causarum doctrinam *Differentiæ* excipiunt, qua-  
rum ex variis Autoribus varias recenset citatus *Jos. de Aromat.* p. 43.  
Græci recentiores ratione subjecti *quatuor* ponunt, quatenus sc. in-  
flammatio vel musculos *laryngis internos* in *κυνάγχη*, vel *externos* in  
*ωδοκυνάγχη*, vel *pharyngis internos* in *σουάγχη* vel ejusdem *externos*  
in *ωδοσουάγχη* afficit; quas latè explicatas vide apud *Sennert. l.c.*  
*Riverium in Praxi lib. VI. c. 7. p. 290.* *Rolfinc.* in *Epitome* p. 107. *Sebizium*  
in *Specul. Med. Pract.* p. 576. *aliosque. Ludov. Duretus Comm.* cit. p. 235.  
ex mente *Hippocratis* tria constituit genera, quorum *primum* nullum  
exhibit erysipelas, quod sit tractabile & aspectabile, *alterum* tantum  
in faucibus tumorem ruboremque excitat; *tertium* verò est anginæ  
illius, in qua cum faucibus etiam rubent cervix & sternum; horum  
causas tradit *Desid. Jacot. l. 1. p. 696.* Eadem ferè ratione in tria dispe-  
scit membra *Platerus in Praxi* p. 338. prout nempe inflamatio seu tu-  
mor nullus intus forisvè, vel in fauci angustiis tantum, vel foris  
potius in collo se offert. *Mindererus in Medic. Militar. c. 5.* præter anginā  
illam, quam *die gemeine Bråune* vocat, *duas* alias delineat species,  
quarum *primam* à sede affecta indigitat *die Herz-Bråune* / eò qvod  
illam œsophagi partem, quæ ob sextum nervorum par ibi implanta-  
tum cum corde communicat, Græcisque ob id *καρδία* audit, affligit;  
& conjuncta est cum dolore & ardore intensissimo, qui juxta patien-  
tum querelas circa locum hunc instar prunæ ardentis nonnunquam  
urit,

urit, ac in febribus & dysenteria ex observatione Excellent. Wedelii occurrit. Altera verò Latinis *Prunella alba*, Germ. die weiße Bräune oder *Ansaß* dicitur, quoniam tota faucium concameratio unà cum uvula, tonsillis, lingva &c. materiâ quadam tenaci, viscidâ, albâ, obducta conspicitur, ut etiam instrumento ad fordes abstergendas opus sit, uti graphicè eam depingit locô cit. Minder. Et de hac procul dubio loquitur *Helmontius Tr. Catarrh. deliram.* §. 39. p. 354. ubi faucibus per anginam præclusis è lingua filum viscidum continuò propendere asserit, qvum idem *Mindererus* annotet. Plura notatu digna de ea habet *D. Schultz Ann. Ephem. cit. Obs. 152. p. 215.* Alias differentias, quæ vulgò à genere, subjecto, causis, adjunctis, more, duratione & eventu, defumuntur, heic prolixè adducere lubens prætermitto, ne tempus & chartam perdere videar, cùm ex dictis facilis negotio quilibet eas eruere queat; sicut ex signis variis jam enumerandis à reliquis affectibus, qui cognitionem aliqualem cum ea habent, optimè discerni potest.

§. XVII. *Signa hæc Medicis dicuntur Diagnostica*, quod inde morborum vel imminentium vel præsentium status penitus cognoscatur. Si itaque quis ex causâ non manifesta dolorem, calorem & angustiam in faucibus persentiscat, ut deglutitio assumptorum non nisi cum molestia fieri possit, motus colli aliquomodo impediatur, vel simul respiratio non liberè procedat, anginam ante fores esse prædicere potest Medicus, præsertim si aëris inclemens & aliæ causæ conspirent, aut plures jamdum hoc malo detenti sint.

§. XVIII. *Præsentiam* ejus eadem, in majori saltim gradu, denuntiant, quibus se numerosa symptomatum cohors associat: quæ omnia quidem in qualibet angina non simul visuntur, nunc tamen hæc, nunc alia magis affligunt, nunc majori, nunc minori cum ferocia sœviunt. Concitato namque humorum ad partes has affluxu, eorumque stagnatione, quâcunque demum de causâ, factâ, mox *calor* & *dolor* ibi oritur (vid. §. 6.) qui sensim ingravescens pro humoris peccantis conditione modò obtusus est & tensivus, modò acutus & pungens. Interdum *ardor* intensus circa scrobiculum cordis excruciat, de quo §. 16. *Tumor*, qui inflammationem sequitur, jam nullus appetet ad sensum, sed ex effectu patet, jam intus magis conspicuus est, jam foris etiam. *Rubor* non in faucium concameratione solùm se manife-

stat

stat, sed non raro quoque ad collum & adjacentes partes se extendit, immo totam faciem in graviori casu occupat, ut oculi etiam exerti rubentesque appareant, quod ex comunicata inflammatione, ac potissimum intentata suffocatione oriri strangulatorum aspectus patefacit. Individui vero comites sunt *deglutitio* & *respiratio lesa*, licet frequentius de illius molestia conquerantur ægri. Quamvis enim *Riverius Cent. II. Obs. 10. p. 588.* exemplum recenseat cujusdam, qui anginam tam vehementi laborarit, ut nec loqui nec deglutire potuerit, respiratione nihilominus manente integrâ; id tamen potius de læsione ejus non adeò manifestâ, quam nullâ, intelligendum suspicor, qvum ipse in *Praxi suâ p. 291.* inter signa pathognomica & hanc ponat. Prout autem musculi laryngis vel gulæ, horumque interni vel externi magis, inflammati, ita deglutiendi ac respirandi difficultas, & ex his timendum periculum variat. Interim orthopnœa in exquisita Angina (quam tamen eò modo, quô vulgo describitur, rarius in Praxi occurrere, aliorum experientiâ edoctus sum) adeò urgere nonnunquam ægros dicitur, ut metu strangulationis erectâ cervice & aperto ore respirare cogantur, uti & non raro liquida assumpta per foramina ex palato in nares patentia, magnâ vi rejiciuntur ab illis, qui solida deglutire possunt; licet & contrarium aliquando contingat, ut illa faciliter deglutiatur, solidiora minus; id quod autoritate *Jos. de Aromat. Tr. cit. p. 47.* & *Riverii p. 290.* constat, qui etiam horum phænomenon rationes optimè explicat, cui *Sennertus & Bræckhuys. Oecon. Anim. Art. 74. p. 119.* adjungi possunt. *Febris*, quæ interdum simul affigit, vel symptomatica est, aliis comitata dicta; quæ gravissimæ inflammationi ob consensum cordis supervenit, vel frequentius primaria, de qua §. 15. cuius dein productum est angina. Utraque continua solet esse & acuta; nonnunquam tamen prunellæ albæ lentam conjungi febrem testatur *D. Schultz in Obs. §. 16. citatâ. Pulsus*, qui virium & motus circularis index, ordinem non observat, nam Autore *Galen. lib. 4. de caus. puls. c. 20.* nunc tensivus est ac convulsivo similis; aliò tempore magnus & undosus; ingravescente suffocationis periculo parvus & rarus, ast ubi ad extrema ventum, creber & inæqualis. Placet heic verba *Heurnii l. de morb. c. i.* adducere, quibus varietatis hujus in pulsu causas explicat. In suffocationis, inquit, initio calor jure debetur recreari à frigore; languet inde virtus, ac extincto calore nativo,,

,, pulsus labitur in parvitatem & raritatem : sed cum ad mortem per-  
,, git, fit crebrior, quia æquare ea frequentia magnitudinem studet,  
,, fitque inæqualis ob languorem summum facultatis, quæ jam imme-  
,, mor redditur sui negotii, & otium affectat. Sic frequentem & cele-  
rem adnotavit *Tineus von Gylenklee lib. 1. cas. medic. 1. p. 77.* Lingua  
vel ob calorem intensorem nigra, arida & fissa conspicitur, vel len-  
tore albo obviscata est, interdum simul inflammata tumet. Sitis ur-  
gens commiseratione heic dignum symptoma, præsertim si ob deglu-  
titionem liquidorum prohibitam compesci nequeat. In extremo casu  
*spuma circa os* apparet, quam à summa angustia, suffocatione vel con-  
vulsione exprimi docet *D. Paulus de Sorbait l. c. p. 306.* & à fervore  
summo materiam agitante, deducit *Sennertus p. 101.* Adde quæ *Heurnius*  
*Comm. in 2. aph. 43.* habet, quò in loco inter lethalia signa eam ponit  
*Hippocrates.* Et hæc potiora sunt, quibus plura ex *Joseph. de Aroma-*  
*tar.* aliisque addi possunt.

§. XIX. Nunc signa *specialia* explicanda essent, ex quibus v. g.  
innotesceret, quinam musculi potissimum affecti, an gutturis, an gu-  
læ, & an interni, an externi: it. an sanguini & sero puro, an aliis par-  
ticulis vitiosis inquinato ascribendum sit malum; sed quum illa præ-  
beant ipsa hæc symptomata longâ serie recensita, prout majori vel mi-  
nori cum impetu senviunt, prætereà ab Autoribus Clarissimis, saepius  
à nobis citatis, aliisque huic operi abundè satisfactum sit, nolumus  
actum agere, sed hujus rei cupidos ad illos remittimus.

§. XX. Potius ad *Prognostica* jam accessum facimus, quæ morbi  
eventum, ejusque tempus ac modum prædicunt. Sicut vero in gene-  
re salutis & mortis signa ex collatione virium cum morbi vehementia  
& proportione invicem factâ optimè desumuntur, unde & in istarum  
robore unicam anginosorum spem consistere docuit *Galenus*: ita in  
specie periculi metuendi vis patescit i.e. *causæ afflgentis magnitudine.*  
Hinc ex inflammationis statu de morbi conditione judicium ferendum,  
ut quò gravior illa sit, eò periculosior censenda Angina. A quibus  
vero causis hæc varietas dependeat, §. 6. enucleatum. Sic etiam  
quæ foris magis conspicua visitur inflammatio, non adeò timenda,  
quamquæ intus se occultat, cum anguis tunc sub herba latitet; unde  
& illam præsertim anginam lethalem vidit saepius laudatus *Excell. Wedelius*, ubi inflammatio inferius magis processit, non apparens in con-

tameratione faucium. 2. ex subjecti affecti nobilitate. Unde quum laryngis musculi, qui respirationi inserviunt, officii dignitate ac necessariō usu vincant illos œsophagi, qui deglutitioni magis famulantur, dum hāc ad tempus aliquod, illā non item carere possumus; minus urget periculum hisce affectis; uti & externorum lœsio facilius ferri potest. Maximè verò Angina (sic vocare liceat) Cardiaca vitæ infidias struit, ac sæpiissimè mortem in propinquο esse notat, dum partem nobiliorem infestat, & medicamenta per siphonem injecta hūc non penetrare possunt. 3. ex symptomatum simul ingruentium violentia; inter quæ dum principatum obtinent respirandi & deglutiendi difficultas cum doloris sævitia, merito ea species periculosissima censetur, in qua in gradu intensiori hæc ipsa, reliquis stipata accidentibus, adsunt; mitior aliquando, ubi citra orthopnœam deglutitio ac dolor cum ceteris minus affligunt; tutissima tandem, quæ & istis non adeò molesta est, & exteriora saltim occupat. Dolores tamen sine causa sedati mortem subesse testantur, autore Hippo. in Coacis. Febris præsentia nunquam in bonis habenda, præsertim si gravior illa sit, aut mali moris. Divus Senex in aphorismis suis aureis passim, it. in libris Coacarum prænot. & prognosticis varia habet axiomata hūc facientia, quorum rationes à Sennerto & Riverio in Pract. ut & in Commentariis Ludov. Dureti, Jac. Hollerii & Desider. Jacotii in Coac. prolixè adductæ sunt. Imprimis salutare indicium est, si inflammatio & rubor, relictis interioribus, foris apparet 6. aph. 37. & 7. aph. 49. uti quæ contrariō modo contingit conversio, mortifera esse solet. Melius namque est à nobilioribus partibus, quales interiores, ad ignobiliores seu exteriores humorum μεταπλωσι fieri, quum naturæ robur victoriāmque indicet, & partes principes à morbo liberet. Probè tamen videndum, an vera sit hæc transpositio, an tantum ex propagatione humoris peccantis ad exteriora, superstite foco priore & morbo, oriatur rubor iste, ne vanâ spe lactetur animus; id quod symptomata patefaciunt, si non remissiora, inde evadant, sed vel in eodem gradu persistant, vel magis ingravescant. Suspecta verò debet habere sua bona, cui desubitò respiratione aut deglutitio restituitur absqve causa manifesta, quum omnis ejusmodi levatio insidiosa sit, de qua illud *Coi nostri* valet in *aphor.* Non fidendum iis, quorum levatio est ἀσημως καὶ ἀκρίτως, sine signis & causis. In primella alba lethale observavit hoc Mindererus, si tenax

illa albida materia fauces occupans & dentes vernicis instar obviascans, nigrescat aut exsiccatur. De pulsus varietate, & quinam ex his pessimus, vid. §. 18. Juvat quoque lingvam aspicere, dum & illam heic affici §. cit. docuimus, & signa prognostica in morbo Hungarico, angina, febribus ardentibus &c. ex ea æqvæ ac alias ex pulsu & urina, desumi possunt, de quibus consule Sennert. in Instit. Med. p. 668. & 743. Excellentissimum Dn. D. Ammannum, Praeceptorem meum, dum Lipsiæ viverem, & Patronum honoratissimum, in Parænesi suâ ad discentes p. 270. & qvi peculiarem tractatum de hac Glossomantia conscripsit, Prothum Casulanum.

§. XXI. Cùm verò ex acutorum genere sit affectus noster, qvi citò tempora sua decurrunt, in eo aut brevi mors expectanda, aut victoria læta. Acutissima verò illa, qvæ strangulatu forti cum sævi doloris cruciatu patientes affigit, nullo tumore intus forisque conspicuo; hanc enim horis 4. 8. 10. & 12. post, mortem crudelem infecutam esse, exemplis ex variis Autoribus collectis confirmat Schenckius lib. II. Obs. 26. 27. & 28. Sic etiam Fernelius eâ sæpè vidit sublatos ægros 18. horarum spatio lib. 5. παθολογ. c. 9. Non semper tamen adeò pestiferum acutumqve malum esse, ex Hippocrate probat Jos. de Aromat. l.c. p. 40. qui 2. epidem. testatur, qvibusdam cynanchicis tumores non solum ad 40. dies, sed valdè longum tempus perdurasse cum vocis ac deglutitionis læsione, quod etiam Galeni testimonium comment. in b.l. approbat. An verò hinc duplex cum citato Autore p. 45. sit constituenta angina, altera acuta, quæ intra 40. vel 60. dies ad summum terminetur ( qvum Hippocrat. lib. prænot. & diebus indicat. hos terminos agnoscat, qvamvis Galenus 2. aph. comm. 23. non credat ultra quadragesimum diem acutos progredi morbos ) alia verò chronicæ, qvæ tempus hoc pertranseat, cuilibet artis hujus gnaro dijudicandum relinquimus. Dum enim inflammationis, quam semper heic adesse, §. 6. demonstravimus, ea est ratio, ut non longè post, nî discussatur, ad suppurationem tendat, vix chronicorum tempora emetierur. Interim molestias hinc enatas ad aliquot septimanas posse dura-re, facile credimus.

§. XXII. Modus eventus non unâ ratione contingit; vel enim materia peccans convenientibus remediis resolvitur & discussatur, vel maturatione facta sub puris specie evacuatur, vel ad alias

*transfertur partes. Primus modus optimus censetur, qvum minorum cum periculo & patientum molestia conjunctus sit. Frequentius vero in abscessum colligitur, quam & inflammationis praesentia & locus materiae suppurandae capax adjuvant; unde & non raro angina laborantes gravissimam a praesenti suffocationis periculo, abscessu rupto, liberati sunt, Germ. efferunt: Es bricht auf. Interdum sensim & sensim abscedit materia & per exscretionem ejicitur, adjutam naturam per medicamenta injecta, seu gargarismos, quod saepius in die ac repetitis vicibus fieri debet, alias reddit malum, Es lauft wieder an. Vid. Colleg. Pathol. §. 10. laudatum. Hac autem sputa cocta esse debent, non subarida, glutinosa, crassa &c. monente idipsum Sene nostro in Coacis. Qvod si autem ad alias transfertur partes, v. g. ad cerebrum, pulmones, pleuram, cor &c. ubique res periculi plena evadit, ob symptomata graviora hinc exorientia, & a Sennert op. 102. descripta. Imprimis de conversione ad pulmones notabile effatum Hippocratis, „aph. 10. Qui ex angina fiunt peripneumonici, intra septem dies moriuntur, si hos effugerint, ευπνοι seu purulenti evadunt; quod ipsum etiam in Coacis & Prognost. repetit. Sic exemplum anginae in peripneumoniam mutatae lethalis habet Heurnius Comm. in cit. aphor. p. 329. Insperata tamen salus ac ferè miraculosa nonnunquam obtinet; quando natura suae conservationis studiosa, insuetum per iter nec adeò cognitum, crisin exhibit salutarem, dum per alvum auras excretionem puriformem molitur, sicque materiam morbificam eliminat, in quibus viis delineandis occupatus est D. Caspar Bauhinus in Epist. Anatom. Curiosa ad D. Voglerum Patrem conscripta, & cura Celeb. Wedelii Ann. III. Ephem. German. p. 596. annexa. Nec lectu indigna sunt, quae de ipsis habet Desider. Jacot. Comm. cit. p. 715.*

§. XXIII. Ex dictis ergo nunc patescit, sat gravem esse ac pericolosum hunc affectum, qui citam opem non tam postulat, quam urget, adeò ut is, qui curam ejus in principio negligit, saepè morte, funestam cunctationem hanc luere debeat. Ut verò nihil sine legibus Jctus, ita nec sine indicationibus quicquam ritè perficere potest Medicus: quarum alia *morbum* ipsum removendum respicit, alia *causæ* ablationi studet; alia demum *virium* conservationi & symptomatum mitigationi intenta est. Media ex his primatum obtinet, dum causam sublatam & effectus hujus, morbus cum adjunctis suis accidentibus,

sua sponte cessat. Fini huic ex voto obtinendo varia inserviunt præsidiorum genera, ex triplici vulgo dicto fonte, *Chirurgico* nempe, *Pharmaceutico* & *Dietetico* desumenda. Nam statim ac humorum, in specie sanguinis ad fauces affluxus persentitur, opus est *revulsione*, per debita media post recensenda, quæ motum hunc concitatiorem aliquomodo compescunt, & ne ad partes has tanto cum impetu ruant, impediunt. His succedant *repellentia*, intus solum in faucibus adhibenda, quæ inflammationem avertere valent, partesq; laxas blandè roborant, ut materiam, si quæ adhuc affluat, non ita promptè recipiant. Postmodum & *derivantibus* locus concedatur. Quod si verò iamdum partibus adeò impacta sit materia peccans, ut repellentibus cedere nolit, tentandum, an ope *digerentium* & *discutientium* removeri possit. Si tamen nec his aliquid efficitur, & suppurationis indica se manifestant, appropriatis *pepticis* illa adjuvanda, & post l.a. tractanda. In genere tamen cavendum sedulo, ne astringentibus & refrigerantibus foris, quocunque tempore, imprudenter adhibitis, materiae morbificæ recursus ad interiora promoveatur, qvum certissimum vitæ periculum exinde metuendum sit. His, externis magis, associanda interna pharmaca, tum quæ sanguinis circulum in ordinem redigunt, & malignitati, quæ conjuncta interdum, resistunt, aut serum coagulatum attenuando & incidendo obstructions hinc factas tollunt, motumque sanguini stagnanti restituunt, ut *sudorifera* & *diaphoretica* varia cum *bezoardicis* juncta: tum quæ materiam morbificam, si vias has affectet, perquam eliminant, ut *diuretica*. Quibus omnibus si *alterantia* & *corroborantia*, nec non *specifica* dicta, conjugantur, legitimusque in *Diæta* modus observetur, felicem curationis eventum, divinò freti auxilio, & Medicus & æger expectent.

§. XXIV. *Revellentium* primarium est *Venesectio*, cuius usum unò ore svadent Autores; unde & optimum, præsentaneum, & in morbo hoc compendiarium remedium salutatur à *Sennerto*, in quo, judice *Riverio*, præcipua salutis spes constituenda, hincque tantopere necessarium, ut à nullō contraindicante retardari debeat. Quamvis verò cum *Helmontio Pleura furens* §. 7. p. 318. & *Tr. de febribus c. 4.* §. 39. p. 754. revulsiones per sanguinis missiones institutas, derideant nonnulli, ac ut frustraneas rejiciant, ipsis tamen experientia, optima rerum

retum Magistra , refragatur , quæ docet , venam v. g. tali sectam mensum fluxum promovere , quem in cubito celebrata V. S. inhibet , quod sanè non contingere , nì aversoria quadam vi polleret . Quo ipso tamen neutiquam Veterum errori subscribimus , qui ex ignorantia motus circularis putârunt , sanguinem mediantibus venis ad partes fluere , unde hoc medio ipsum ad aliquam partem ruentem retrahere voluerunt , nam per arterias id ipsum fieri ex autopsia Anatomica jam clarum est : nec sub illo conceptu eam admittimus , quasi à parte affecta sanguis immediate per V.S. hanc retrahatur propter communicationem aliquam specialem & determinatam venæ cum membro affecto ; nam præterquam quod hæc quoque opinio circulationis legibus repugnat , noxa potius inde metuenda , ne aperta venæ , arteriæ dicti membra sociâ , major ad hanc affluxus alliceretur : sed mediantibus arteriis revulsionem hanc ( quod & de derivatione valet ) contingere putamus , ad quas in parte laboranti oppositâ sitas , sanguis h. m. adducitur , adeoque impetuosior ejus affluxus ad affectam partem quodammodo inhibetur , uti accurate hæc nobis exposuit Excell. Bohnius in Collegio Therapeut. privato , ex quo & aliorum remediorum agendi modum , ad circulationis normam applicatum ( si pace ejus , quod spero , fieri poterit ) adducere animus est . Hinc rectè Sennertus p. 105. apertione venæ in oppositâ parte primò svadet . Neque etiam negamus , ex arteriarum incisione ( modo apud nos usitator effet illa ) celeriorem juvandi spem affulgere ; attamen & venarum sectioni optatum respondere effectum experientia testatur , & Schenckius , in hac Salana quondam P.P. meritissimus decade 1. problem. de V.S. 6. p. 21. probat . Qua ratione autem V. S. sanguini stagnanti suus restituatur motus , eleganter declarat Sylvius l.c. §. 40. p. 691.

§. XXV. Communiter pro scopo hoc eliguntur in brachio mediana & cephalica , quod commode per eas sanguinis depletio fieri possit ; nunc verò una sufficit , nunc utriusque aperturam plethora surget : quô in casu primò medianæ , hinc cephalicæ incisionem commendat Sennertus . Hippocr. lib. 3. de morib. venam sub mammis quoque aperire jubet , quem contra Cælium Aurelianum , id improbantem , defendit M. Aurel. Severinus Tr. cit. p. 56. Si verò mensum suppressio in culpa , venæ alicujus in pede , præcipue saphene , sectio simul celebranda . Imò Jul. Cesar Arantius lib. de tumor . quem citato loco Severinus

rinus adducit, in omni angina necessarium hoc judicat, adeò ut & detrimentosam initio morbi superiorum venarum sectionem judicet, cui tamen opinioni haud suffragatur experientia. In eo tamen minus consentiunt Autores, quænam in priori casu primò aperienda sit vena; dum alii ex superioribus quandam, ex inferioribus alii eliguntur. Sed distinctione quadam hanc controversiam dirimit Sennertus, dum ab eo, quod magis urget, incipiendum esse monet, qui videatur. Idem in *hemorrhoidum per hirudines apertione*, si ab iis malum foveatur, observandum; cujus usum in omni faucium dolore & angina experientiâ suâ Præticâ nobilitat *D. Paulus de Sorbait l.c.p. 729.*

§. XXVI. Nec menstruæ purgationes heic V. S. administratio-  
„nem inhibitent. Sic Scultetus in fœmina quadam anginosa, mensi-  
„bus licet ritè fluentibus, præmisso clystere, sanguinis ʒijv ex vena  
„brachii educi curavit, & altera die venas sub lingua incidi, utrāq;  
„verò vice (quod probè notandum) simul cucurbitulas siccas parti  
„femorum domesticæ cum multa flamma affixit, ne per superiorum  
„venarum incisionem purgatio menstrualis impediretur, & major ad  
„partem affectam fieret attractio; *Armam. Chir. part. II. Obs. 40. p. 53.*  
In aliâ tamen puellâ anginosâ eam intermisit Deckerus, quia menstrua  
ipsi per quatriuum jam fluxerant & adhucdum satis fluebant, & sic  
natura V. S. vicem quasi supplebat, in *Exercit. cit. p. 62.* Imò ipsa in-  
gravidatio, si suffocationis periculum urget, non excusat. Abor-  
tiendi quidem metus adest: quum verò compertum sit, in his quo-  
que absque periculo V. S. fuisse celebratam, ac in nonnullis, extra  
hunc etiam casum, ad abortuī præcautionem ob sanguinis copiam,  
fœtum alias suffocantem, necessariō requiri, eam admittimus, ita  
tamen, ut sanguinis cautè ac minori quantitate detrahatur, non verò  
juxta Riverii placitum, in magna copia, ne abortuī fortean culpa no-  
strâ promoto conscientiam lœdamus.

§. XXVII. Largior autem evacuatio simul & semel facta, in  
nostris præsertim regionibus, exulet. Unde nec exteri in hoc imi-  
tandi, nec ii audiendi, qui ad animi deliquium usque eam syadent.  
Ubi obiter ex *Collegio Nobil. Bonnii cit. Et Schenck. probl. 9. de V.S. p. 34.*  
notamus, Veteres in febribus ardentissimis, maximis inflammatio-  
nibus, & vehementissimis doloribus, non ideo cum Galeno ad lipothy-  
miam usque sanguinem detrahendum præcepisse, ut quæ vulgaris est  
opinio-

opinio, ea sit mensura maxima evacuationis: fallax enim admodum fuisset hæc regula, dum nonnulli αἰμοφόβοι vix vena fauciata animo deficiunt, sed potius quod in dictis affectibus deliquum hoc immediate quasi medeatur, dum ab eo per corporis refrigerationem subitam impetus sanguinis & ebullitio p. n. tantocytus infringitur, ipsique corpori torpor quasi & insensibilitas quædam inducitur. Quò minus verò idipsum in affectu nostro admitti possit, respirationis difficultas & suffocationis inde metuendæ periculum obstat, juxta quæ etiam sanguinis evacuandi quantitas semper regulanda. Tutius tamen est infrâ subsistere, quām exquisitè evacuare, præsertim cùm repetita V. S. id, quod restat, detrahere valeat, ea quoque ex *Sennerti* mente plus revellat, quām una larga sanguinis evacuatio.

§. XXVIII. Et ab hoc remedio in omni angina, etiam illa, quæ juxta Veteres à frigida pituitosaque defluxione ortum habet, curationem auspicandam esse monet *Fr. Joell lib. II. Prax. p. 59.* præmisso tamen, si per morbi vehementiam licet, *clystere laxante*, fin minus, post injiciendo. Qvamvis enim *Schenck. lib. II. obs. Med. 30. ex Alex. Bened. de curand. morb. lib. VII. c. 19.* exemplum habeat ægri, anginâ sanguineâ citra phlebotomiam liberati, id tamen iis, quæ raro contingunt, nec facile imitanda sunt, annumeramus. Excipiendæ verò malignæ & epidemiæ, in quibus, attestante *Wiero l. c. plus Iæsionis*, quām emolumenti affert phlebotomia, sicut etiam *Castellus* in Angina contagiosa, Neapolitum grassante, eam inutilem deprehendit, referente id *Excell. Bartholino Cent. I. Epist. Med. 51. p. 215.*

§. XXIX. Vicariam V. S. operam præstant *cucurbitulæ scarificatæ* in illis, qui per ætatem aut virium imbecillitatem venarum magnarum apertioñem non adeò ferunt, dum pariter ex toto sanguinem educunt, tenuiorem tam, quām crassiorem, siquidem arteriæ & quæ ac venæ capillares, ad quas utraque ex illis defertur, inciduntur. Cruribus eas apponi curat *Sennertus*, vel supra renes, post etiam brachiis, non ita collo, ne parti, loco affecto propinquæ, in principio admotæ majorem ad eum affluxum concitent, sicque malum augeant. Cervici applicat *Fr. Joell. c. p. 257.* Eidem, ut & scapulis & lumbis *River. in Praxi & Observat.* Nuchæ & scapulis sibi admovit *Binninger. Cent. IV. obs. 67. p. 441.* *Lazarus Sotus in animadv. Med. pract. c. 4.* §. 59. scarificatum brachiorum in pueris commen-

dat, citante *M. Aurel. Severino* p. 64. qui ipse de scarificatione varia-  
rum partium in angina plura ex Autoribus collegit pag. 65. &  
*seqq.*

§. XXX. Ad hanc classem etiam spectant *cucurbitæ non scarifi-  
catæ seu siccæ*, variis corporis partibus admotæ, de quarum usu aver-  
sorio, retractorio similibusque, varia Autorum testimonia adducit  
laudatus *Severinus* p. 205. 206. & alibi. Eâ verò ratione id præstant,  
quatenus arterias & venas simul afficiunt, & sic sanguinis per utrasq;  
motum aliquomodo morantur. Scapulis autem, collo & sub mam-  
mis affiguntur, autore *Platero in Praxi* p. 344. ac præsertim in cervi-  
cis initio juxta secundam vertebram appositæ magnum afferunt em-  
lumentum, dum liberiorem spirationem ac deglutitionem adjuvant.  
Sic scapulis & brachiis magnas seu ventosas apponi curavit *Tineus*  
von *Güldenklee Cas. cit. p. 78.* Ad potentius revellendos humores  
*vesicatorium* posteriori parti cervicis statim ab initio post V. S. admo-  
vendum svadet *Riverius in Praxi* p. 293. sicuti idem in quodam cum  
successu præststit *Cent. II. Obs. 10. p. 588.* Hæc ipsa tamen nuchæ ap-  
plicata, præcipue in augmento, improbantur à *D. Paulo de Sorbait*  
p. 730. utpote parti affectæ nimium propinqua, nisi forte in fine seu  
in declinatione ad apparentis jam & maturi tumoris rupturam. Ves-  
catorium singulare præscribit *Mynsichtus in Armam. Medico-Chym.*  
*sect. 30. p. 420.* quod super pectus ponì jubet, qvum optimè ad illud  
materiam divertat & experimentum sit nobilissimum. Munere autem  
derivantum & revellentium funguntur hæc ipsa, dum lympham af-  
fluentem & reflucentem alliciunt & evacuant, ut ab eâ membra alia,  
hinc morbosa, minus lœdantur. Maximâ urgente necessitate *caute-  
riis*, docente *Platero loc. alleg. cervicis initium seu capitis eminen-  
tior sedes inuritur, quod & præservatoriè locum habet. Tandem,*  
*frictiones quoq; extreborum, ligaturæ in artubus, & lotiones pedum ex*  
*✓a calida simplici vel herbis appropriatis medicatâ, commendan-  
tur.* Si veterum stamus opinione, inquit *Illustris Barthol. Cent. I.*  
*, ep. med. 81. p. 334.* ad sui refrigerium cor per extrema arteriarum  
*, venarumque oscula in cute aërem simul recipit & expellit fuligi-  
nes, quod aucta necessitate Cynanchicis crebris frictionibus fo-  
ret promovendum. Sed an multum ad humorum revulsionem,*  
*conferant, dubito, cùm vis earum ferè momentanea sit. Plus ju-*  
*vami-*

Vaminis ex ligaturis sperandum, præprimis si in partibus remotioribus instituantur, dum enim venas constringendo sanguinis & seri refluxum ad cor quadantenus remorantur, non tam citò iterum ad partes, nec in tantâ copia amandari possunt, quin si dolorificæ sunt, simul attrahendo humores agunt. Hinc tales in quadam puerpera, ex angina vera decumbente, artubus admoveri jussit *Binninger* *Cent. I. Obs. 86. p. 95.*

§. XXXI. Nunc ad fontem *Pharmaceuticum* delabimur, ubi scopo nostro inserviunt *Purgantia & Vomitoria*. Illorum usum in principio prolixè commendat *Decker Exerc. cit. p. 262. seqq.* ac Practicorum à nobis sæpius allegatorum testimonia comprobant. An autem febre præsente in initio tuta sint, non convenit inter Autores. *Sennertus* ad febris naturam respicit, quatenus vel præcessit anginam, aut simul cum ea invasit, vel insecura est eam: in priori casu ea syadet, in posteriori verò non multum inde commodi sperandum dicit; vid. ipse p. 105. & 106. ubi hæc latius proponit. *D. Paulus de Sorbait Med. Pract. p. 730.* purgationem, febre licet affligente, ordinat, si indicans hujus seu cacochymia adsit, idque in plurimis patientibus hactenus se probasse dicit, optimeque successisse, dum plures anginas in corporibus cacochymicis & minus plethoricis solo cathartico curaverit. Sic anginam illam contagiosam, cuius ex *Cel. Bartholino* §. 28. meminimus, sola purgante potionē ex Syrupo rosar. & melle olim jugulavit *Castellus*. Maturè autem instituenda hæc est, statim altero post V. S. die, ut *Riverius & Fr. Joel* volunt, qvum morbus non det inducias: quin si is urgeat, etiam eodem; ut se fecisse refert *Trallianus lib. 4. c. i.* ubi *Sennertus* monet, manè celebratâ V. S. vesperi exhiberi posse purgans. Eligantur verò mitiora saltim & blanda, quæ humores non nimis exagitant, præprimis si bilis peccat, nam ad pituitam exterminandam fortiora paulò adhibere licet. Hujus generis sunt, cassia, tamarindi, manna in juscule soluta, (de cuius usu vid. *Binninger. cent. IV. Obs. 67. p. 440.*) rhabarbarum, mechoacanna utraque; Syrup. rosar. solutivus jam commendatus, Syrup. de manna, cichorii cum Rhabarb. &c. Forma autem liquida videtur commodissima, dum sic pitando absumi possunt, quamvis & in alia, si appetatur, dare liceat. Pilulæ tamen vix commodè præscribuntur, ob deglutitionem læsam & saporem ingratum, nauseæ ac vo-

mitus procreaticem; multò minus imitandus *Rondeletius*, qui pilulas dissolvit pro facilitori assumptione, non attendens mala, quæ ex nauseabundo hoc medicamento oriri possunt. Interim præservationis loco olim, cùm Romæ angina epidemia ac pestilens grassaretur, à Medicis ordinatum remedium hoc, ut post frugalem cœnam dosin pilul. hier. picr. assumerent; quo auxilio quicunque usi sunt, periculum declinarunt tam atrocis mali. Vid. *Holler. lib. I. de morb. intern. cap. 23. pag. 215.* & *Plater. in Praxi pag. 346.*

§. XXXII. Si verò deglutitio planè impedita sit, ut nulla ore assumi queant purgantia, eorum vicem supplent *Enemata* ex emollientibus variis, ut & laxantibus, purgantibus, & stimulantibus acrioribus conflata, quæ tamen, si febris conjuncta, mitiora esse debent. Talia sunt herbæ 5. emolientes vulgo dictæ, ut malv. alth. violar. mercurial. parietar. quibus alii betam, branc. ursin. & atriplicem addunt, rad. alth. lil. alb. bryon. cucum. asin. cyclamin. flor. lil. alb. melilot. sem. lini, fœni gr. furfur. & agaric. in petia ligat. jalapp. helleb. nigr. fol. senæ &c. quibus in  $\nabla$ a simpl. coctis & colatis add. electuaria varia, bened. laxat. diacathol. diacartham. hier. picr. simpl. & cum agarico, cassia pro clysteribus, it. olea lil. albor. lini, rutæ, chamæmel. & stimuli loco  $\Theta$ ina,  $\Theta$  gemmæ,  $\varphi$ ri,  $\textcircled{O}$  diat. facchar. Thom. fel  $\gamma$  inspissat. &c. Et cùm, *Deckero* teste, alvo astrictâ ut plurimum laborent anginosi, cuius causam in salivam plus justo effluentem rejicit *Helmont. Tr. latex humor negl. §. 20. p. 304.* horum, mitiorum tamen, usus valde laudabilis erit.

§. XXXIII. An vomitoria commendanda, res altioris indaginis est. Eorum usum approbat *Jos. de Aromat. p. 69.* In angina etiam maligna *Barthol. Tr. de angina puerorum*, quem citat *Hoffmannus quondam noster M. M. p. 107.* insigni nobilitat præconio. In pituitofa dictâ emetica, licet satis vehementia, svadet *Riverius*, & inter hæc palmam tribuit  $\nabla$ æ benedictæ, qvum sapore nullo ingrato prædita, & facile pitiſſando ingeri possit, præterea ad  $\mathfrak{z}$ ij exhibita miranda præstet, & morbum ut plurimum intra duas horas dissolvat, sicut effectum ejus exempla *Cent. II. Obs. 10. pag. 588.* & *obs. 24. pag. 592.* item *Cent. IV. Obs. 60. p. 645.* celebrant.

Summè

Summè tamen cautos nos esse jubet inflammationis hinc, ob conatum nimium, augendæ & suffocationis periculum. Unde minùs tuta ea judicant Sennert. p. 107. Joubert. de thorac. affect. c. i. Gregor. Horst. decad. 4. probl. med. qvæst. 4. Decker. l. c. p. 151. D. Paul. de Sorbait. p. 730. Hoffmann. c. l. & plures alii. Nec obstat, qvod Hippocrates alicubi dicat, se per superiora purgationem adhibuisse; per hoc enim, uti explicat Desider. Jacot. comm. cit. p. 699. non intelligit vomitionem, sed gar-garismata, cum ipse met jubeat, ne per locum affectum unquam eva-cuemus, alioquin futurum, ut imbecillus ad se trahat omnia. Idem in-culcat Galenus 13. M. M. c. 6.

§. XXXIV. Potius *Repellentia* consideramus, qvæ juxta *Sennen-tum* post primam statim sanguinis missionem in auxilium vocanda ad inflammationis augmentum præcavendum. Id qvod ex mente *Nobil. Bohnii* in *Colleg. cit.* præstant, dum in fibras partium solidarum, recipientium agunt, hasqve constringendo & roborando ulterio-rem sanguinis appulsam retardant, eumque ad vicinas & laterales arterias deflectunt, ut modicum ejus, quod aëtu inhæret aut acce-dit, à venis commodius absorberi queat. Hæc ipsa verò solùm in-tus in faucibus, qvod §. 23. monitum, non extrà applicanda, ne hu-morum repulsio ad interiora & fauces versus cum maximo periculo fiat; unde & cautè cum illis mercandum, & rarissime solis repellenti-bus, nisi cùm imminet inflammatio, aut ea primùm incepit, utendum. Sicut nec eō casu astringentia talia conveniunt, ubi à rebus acutis gulæ infixis māium hoc ortum. *Gargarismatum* forma heīc commo-dissima, qvorum loco in infantibus, qui modum hæc adhibendi igno-rant, *linctibus* opus est. Suspecta qvidem videri possunt, qvod gargar-i-fando partes inflamatæ commoventur, qvæ qvieta indigent; sed hoc incommodum facile evitari potest, si juxta præceptum *Riverii*, garga-rismata in ore detineantur resupino corpore citra ullam agitationem, ut partem affectam tantum attingant. Cavendum insuper, ne ingredi-entia ob acrimoniam fauces lœdant, vel ingrato nimis sapore nau-seam & vomitum cum ægri damno creent. Galenus 6. de compos. med. sec. loc. c. i. quatuor proponit remedia, qvorum *primum* & *mitissimum* ex musto, *alterum* fortius ex moris, *tertium* paulò fortius ex rubi moris, *ultimum* fortissimum ex corticibus nucum viridibus parat, addendo singulis corrigentis loco mel. Horum compositionem & præpara-

tionem fusè ex eo describit *Sennertus* p. 108.<sup>1</sup> Hodiè ex variis ingredi-  
entibus conficiuntur gargarismata talia, prout mitiora aut fortiora de-  
siderantur. Illa constituant.  $\nabla$  & plantag. prunell. uvular. fol. quercus,  
salicis, rosar. similesque refrigerantes, quibus additur succus quidam  
acidus, granator. citri, vel  $\text{X}$  rosac. it. syrup. granator. myrtillor. de ro-  
sis siccis &c. & tantillum  $\text{O}$ i, vel communiter cum  $\Delta$ e depurati, qvod  
lapidis &  $\Theta$ is prunellæ nomine venit, vel elegantiis cum  $\Theta$ \*aco,  
qvod  $\text{O}$ m \*cale audit, cujusque præparandi modum concinnio-  
rem tradit *Excell. Wedelius Ann. II. Ephem. Germ. Obs. 96. p. 297.* vel  
 $\text{O}$ tiati aut  $\text{O}$ lati *Mynsichti*, cuius etiam  $\text{F}$   $\text{O}$ tus & Trochisci de  $\text{O}$ o in  
hoc affectu ab ipso valde extolluntur; sicut ratione  $\text{O}$ ri pulvis pyrius  
qvoque conductit, militum euporiston, vid. *Minderer. l. c. & Höfer. in*  
*Hercul. Med. lib. i. c. 12. p. 91.* Fortiora paulò sunt, quæ ex decoctis  
dictarum herbarum, cum cortic. granat. balaust. nuc. cupress. flor.  
rosar. rubr. myrtill. exsiccat. & similibus parantur, addendo succos &  
syr. nominatos, it. rob. dianuc. diamor. myrtillor.  $\text{O}$ m variè præpa-  
ratum & O. Validiora sunt gallæ, sumach, hypocist. &c. hinc modice fal-  
tim, ubi opus, reliqvis addenda, non sola in usum vocanda. Garga-  
rismum in angina desperata proficuum ex fol. semperviv. rec. cum  
 $\Theta$ \*co  $\Omega$ atis commendat *Fr. Hoffmann. in Clave Pharm. Schröd. p.*  
*549.* ubi &  $\nabla$  m  $\Omega$ tam sedi & Syrupum ex succo ejus laudat. *Forestus*  
singulariter extollit Gargarismum ex lactis caprini &  $\nabla$  & plantag.  
part. æqual. qvō remediō, utut vulgari, ad miraculum se anginam cu-  
rasse testatur *lib. i. de febr. obs. 17.* Sic etiam *Rulandus* unico sæpè gar-  
garismate eam profligavit; vid. *Cent. II. Curnat. Empir. 9. & Cent. X.cu-*  
*nat. 55.* ~us acidos  $\Delta$ is,  $\Theta$ is aut  $\text{O}$ li  $\nabla$  appropriata temperatos pro  
inflammatione compescenda sensim sorbere jubet *Riverius.* Pulveres  
repellentes ex fol. plantag. rosis rubris & similibus fistulâ interdum  
infusari ex *Platero* novimus. Linctus verò ex succis & syrup. nomi-  
natis aliisque fiunt.

§. XXXV. Nec *Derivantia* negligenda sunt, qvæ in operandi  
modo cum revellentibus conveniunt, in eo saltim differentia, quod  
hæc in remotiori, illa in vicina magis parte administrantur, & post-  
qvam revellentia præmissa sunt. Alterò ut plurimum die celebratur,  
si tamen necessitas lege carens urget, etiam eodem cum *Tulliano* fieri  
potest, derivatio. Hujus gratiâ frontis venam aperit *Archigenes*, alii  
eam,

eam, qvæ in cervice, aliud venas narium, alias alii. Olim celebres fuerunt venarum jugularium sectiones, de qua operatione latè agit *M. Aur. Severin.* ejus usum tum aliis, tum propriis experimentis confirmans, *tr. cit. p. 51. & seqq.* Eandem approbat *Riverius in Praxi Tralliani & Zaceuti Lusitani Observationibus.* Renatus *Moreau* experientiam suam in *Epist. aliquoties cit.* adducit, dum centies jugulares aperiendas se curasse afferit, non tantum innoxie, sed etiam feliciter; nec operofè magis aut periculose eas secari, quam ceteras venas. Qvum verò nostris temporibus remedium hoc minus usitatum sit, his præsertim in locis, venas lingvæ, mīnas dictas, ab omnibus fere Autoribus hunc in finem commendatas, aliis præferimus; de quarum usu in morbo castrensi, cui anginam frequentissimè copulari suprà docuimus, locus elegans exstat apud *Excellent. Ammannum in Parænesi p. 317.* Qvibus,, cunqve, inquit, militibus, qui ex Turcica expeditione anno 1664., redibant, in Nofocomio venæ sublingvales secabantur, liberabantur à morbo Castrensi, qvibus ob neglectum tempus non aperiebantur, ex delirio Ungarico moriebantur. Hūc etiam collimant culcurbitulæ sub mento scarificatæ, qvibus mulierem anginâ caninâ laborantem, curatam fuisse refert *Zacut. Lusit. in Observat.* Curam verò *Benivenii*, qui scarificationibus sub maxillis & supra collum plagis altioribus inflictis, aliquem prognostico relictum liberavit, ex eō descripsit *Sennert. p. 118.*

§. XXXVI. Non verò hisce res absolvitur omnis; sicut enim ex Practicorum monito sola repellentia vix unquam tuta sunt, sed in principio etiam de *discutientibus* aliqvid addendum, ita in progressu hæc magis adhibenda, itidem verò non sola, sed adstringentibus, in minori licet dosi, admixtis, in quo curationem anginæ ab aliarum partium inflammationibus differre docent iidem, & rationes affert *Sennertus p. 112.* An verò materia extra arterias ad poros partium, effusa & stagnans horum ope in vapores resolvatur, ut nonnulli putant, & sic insensibiliter per poros discutiatur, ex eo dubium redditur, qvod sanguis & lympha integra in vaporem vix resolvi quantum, sed caput mortuum crassius atque haud diffabile post se relinquant, unde probabilius censet *Celeb. Bohnius*, discutientia ejusmodi humores extravasatos & aliquantum incrassatos ita attenuare, ac fluiditatem pristinam ipsis reconciliare, ut à vasis capillaribus, qvæ

qvæ ob crassitiem antea subire nequiverant , resorberi iterum &  
„abduci possint, vid. Colleg. ejus cit. ubi plura. In angina pituitosa medi-  
camenta ~uosa, acria ac volatilia conveniunt, quoru beneficio mate-  
ria illa viscida stagnans & obstruens inciditur, attenuatur ac liqvidior  
redditur, qvò facto obstructiones hinc factæ tolluntur, ac æger à mor-  
bo liber evadit ; qvò nomine apophlegmatizonta laudat *Decker.* l. c.  
p. 114. Sic gargarismate ex solo V confecto , inqve angina omnis-  
qve gutturis inflammationis initio adhibito , dictos affectus intra tri-  
um horarum spaciū se curasse testatur *Jo. Walæus* in *M. M.* pag. 112.  
qvem locum citat jam laudatus *Decker.* p. 110. ubi ejus usum exemplō  
columellæ inflamatæ maximeqve tumefactæ , hinc curatæ , confir-  
mat. Sic ratione sinapi gargarismus à *Sculteto* in *Obs.* §. 26. cit. descri-  
ptus & ab eo in omnibus periculis anginarum speciebus , cùm ad-  
huc in principio augmenti fuerint, maximè commendatus , conducit;  
sicut ob majorem sinapi quantitatēm gargarisma *Riverii Cent. IV. Obs.*  
76. p. 648. potentius priori resolvere idem *Scultetus* scribit. Nec par-  
vi faciendum decoctum illud *Deckeri* , qvod & suffiendi , & gargari-  
fandi fine præscribit , & in angina , omnibus frustrà adhibitis , singu-  
lare experimentum est, ut, et si jamjam suffocatos judicares , usurpato  
eodem brevi levamen sentiant anginosi. Vid. eundem l. c. p. 47. Alias  
talia gargarismata constituunt herbæ hyssop. rorismar. origan. ( Jaco-  
bæam, qvam *Camerarius* laudat, ob ingratum & propemodum nausea-  
bundum saporem heic exulare jubet *S. Pauli* in *Q. B. Class. III.* p. 352.)  
beton. thymi, puleg. calamint. &c. fl. melilot. chamæm. sem. lini, fœni-  
græc. alth. rad. liqvirit. dactyli, passulæ min. caricæ pingves & similia,  
in quorum decoctis solvuntur mel rosat. oxymel simpl. syrup. dia-  
mor. dianuc. &c. pro majori discussione in statu additur crocus &  
myrrha , & in declinatione nonnihil de cineribus hirund. vel harum  
nido aut albo græco &c. qvæ specificè prodeesse creduntur, cùm respe-  
ctu Θis & Θri, qvò pollut, potius resolvendo & discutiendo agant.  
Sic commendandi veniunt gargarismi de althæa, de glycyrrhiza, & de  
cortic. granat. *Mynsichti*, uti & formulis ejusmodi ac aliis heic occur-  
rentibus *Sennerti*, *Plateri*, *Grülingii* aliorumqve Libri Practici refer-  
ti sunt. In *prunella* autem *alba* non sola gargarismata sufficiunt, sed si-  
mul manuum opera reqviritur , ut mediante instrumento commode  
fauces à viscosa illa ac glutinosa materia repurgentur ; vid. *Minderer.*

*l.c.* Sic etiam *Hippocrat. lib. II. de morb.* præcipit, ut sputum, si fortean ob viscositatem excerni nequeat, myrti surculo tenello, molli lanâ convoluto, ex faucibus educatur. *Suffituum* forma *Sennerto* aliisqve non arridet, qvoniam omnia in fumum resoluta & ore excepta faucibus inimica sint, easqve exasperare soleant ac suffocationem augere: in angina tamen pituitosâ, in Belgio admodum familiari, nî majori angustia premantur fauces, cum *Jouberto cap. 1. de thorac. morb.* suffimenta adhibet *Deckerus l.c.p.62.* cuius decoctum, hac qvoqve ratione usurpandum, paulò antè laudavimus. Ex iis autem confecta sint, qvæ vi aromatica & volatili incidere valent & liqvidiorem reddere pituitam viscidam ac tenacem, & obstructiones hinc producetas solvere. Sic suffitum ad anginam ex *Hippocr. l. c.* describit *M. Aurel. Severin. Tr. alleg. p. 185.* & *Aëtius*, eodem teste, *lib. II. serm. 4. c. 47.* horum beneficiò cynanchen curavit. Sicut etiam inter specifica suffitum succini per infundibulum exceptum recenset *Sebiz. in Manual. Med. p. 532.* cuius usum in tonsillarum inflammatione exemplo comprobat *Ruland. Cent. II. cumt. 97.* *Errhina* verò & *ptarmica* in dicta anginæ specie improbat laudatus *Decker.l.c. p.30.* eò qvòd non nisi inflammatio, fluxio, tumor, dolor & per conseqvens febris symptomatica ab illis augeatur, imprimis, ubi rheuma non constiterit, ut *citatò loco Joubertus* testatur, qvi tamen in tonsillis inflammatis, ubi jam constitit rheuma, apprimè errhina convenire docet *cap. 2. de thorac. affect.*

C. XXXVII. Qvoniam autem vis conjuncta fortior est, externè qvoqve resolventia & discutientia adhibenda, qvæ communiter linimentorum & cataplasmatum, rariùs paulò emplastrorum formâ præscribuntur. *Illa* fiunt ex oleis infusis violar. amygdal. dulc. rosar. (linimento namqve ex tribus his parato sanguinem ex vulnere thoracis periculoso in muscularum spatia effusum, ad miraculum ferè discussum fuisse novi) lil. alb. chamom. à *S. Pauli in Q.B. pag. 254.* laudato, it. pinguedinibus variis & mucilaginibus, qvibus interdum adduntur stercore animalium, qvæ in eò convenient, qvod ratione Θis Θsi, qvòd gaudent, discutiant. *Cataplasma* autem ex fol. malv. violar. flor. chamom. melilot. rad. lilior. alb. alth. farinis semin. lini fœni græc. fabar. cum nido hirund. vel sterco. ad mollitiem coctis constant, addendo prædicta olea, pinguedines, mucilaginiæ, cro-

cum, aliaqve validiora, juxta Medici prudentiam varianda. Præprioris cataplasmata & emplastra à *nido hirundin.* denominata celebria, qvalia sunt *Sennerti* & *D. Pauli Lutheri* apud eundem, *Mynsichti*, *Michaëlis*, *Sylvii*, *Deckeri*, *Joëlis*, aliorumqve. Sic etiam nidum hirundinum in  $\ddot{\chi}$ to decoctum & cataplasmatis formâ collo adaptatum, commendat *Ruland. Cent. VII. cur. 92.* Notandum verò, quod *externa* hæc omnia *calidè* applicanda sint, ne frigiditate suâ repellant, hincqve magis noceant: uti & *gargarismata* ex monito *Mynsichti* semper exhibenda sunt *tepidæ*.

§. XXXVIII. Qvod si verò dictis remedii dissolvi digerique nequeat materia contumax, sed ad *suppurationem* tendat, qvod ex dolore aliisqve accidentibus auctis clarum fit, puris generatio omnibus modis acceleranda, id qvod *maturantibus* & *έκπυγληνοῖς* intùs forisqve adhibitis perficitur. Sic ob vim leniendi & maturandi cassiæ extratum seu medullam in ore detentam laudant, ut sensim liqvescens deglutiatur. Gargarismatibus ex decoct. rad. alth. lili. alb. fl. malv. scabios. (qvæ inde Germanis dicitur *Apostem-Kraut*) sem. lini, cydonior. caricar. pingvium, jujub. ficuum, dactylor. & similiū, cum  $\nabla$  simpl. vel hydromelite paratis, in qvibus sub finem uncia una vel altera sapæ solutæ, freqventes fiant oris collutiones, & simul extrà applicentur cataplasmata ex enumeratis §. *præccd.* speciebus, addendo rad. irid. aut bryon. rec. mors. diaboli seu succisæ, qvæ specificum creditur, cepas sub cineribus coctas, fermentum,  $\Theta$ m, cineres hirund. album græcum &c. Puls ex farina semin. lini cum lacte caprino facta & cataplasmatis instar adhibita, *Plateri* testimonio plurimum juvat.

§. XXXIX. Si jam ex symptomatum remissione aliisqve signis innotescat, suppurationem esse factam, non est procrastinanda *puris eductio*, cùm illud morâ sua reddatur acrius, ideoqve noxium magis. Hinc qvando suâ sponte non rumpitur abscessus, ejus apertio variis mediis tentanda, qvæ latè ab Autoribus nominatis adducuntur. Cinerem noctuæ integræ nec deplumatæ in guttur immissum apostema anginæ mirabiliter aperire scribit *Schröder. lib. V. Pharmac. Medico-Chym. p. 321.* Galenus aliquando stercus pueri exsiccatum cum melle commixtum fauibus cujusdam anginosi illévit, unde intra horæ spatium rupt⁹ tumor, & ipse præmii loco 100. aureos reportavit, ac insuper pro

pro revelatione hujus remedii 200.aurei promissi sunt ; referente id  
*Fr. Joël in Praxi p. 258.* Idem Cataplasmate ex flor. chamomill.  
cum  $\ddagger$  to &  $\circ$  parato & extrà applicatò, effecit *Ruland. Cent. IV.*  
*Curat. 56.* Sunt qui *emetorum* ope id obtinere tentant. Sic citatus  
*Rulandus* fœminæ anginosæ vomitorium ex  $\nabla$ æ bened. &  $\nabla$ æ mulf.  
ana.  $\exists$ j. propinavit, ex quo apostema ruptum ; *Cent. II. cur. 62.* Hunc imi-  
tatus est *Riverius Cent. IV. Obs. 60. p. 645.* dum alicui exhiberi jussit,  
 $\nabla$ æ bened.  $\exists$ j. in cuius operatione abscessus in faucibus latens , qui  
totum œsophagi orificium obturarat, disruptus est ; hinc pure rejecto  
æger convaluit. Hanc curam tamen temerariam vocat *Hoffmann. in*  
*M.M.p.108.* Ex decocto *Deckeri* §. 36. laudato , abscessum post paucas  
horas ruptum esse , exemplo quodam ipse testatur pag. 63. Alii  $\circ$  vel  
 $\sim$ u  $\Theta$ li abscessum attingunt , unde plerumque rumpitur ille. Felici-  
ter id in quodam desperato anginoso præstigit laudatus *Sorbait* , dum  
extremitate candelæ cereæ in  $\sim$ m  $\Theta$ li tinctæ tumorem attigit ; vid.  
*Med. Pract. p.731.* *Rulandus*  $\circ$   $\Theta$ li instillat  $\nabla$ æ fontanæ vel vino albo ,  
& gargarismi formâ adhibet, *Cent. IV. Curat. 34. & Cent. VI. curat. 82.*  
*Excellentiss. Dn. D. Praeses* commendat Spiritum  $\Theta$ li , cui baculus sub-  
tilis in cuspide instar penicilli paratus intingitur , eoqve locus affe-  
ctus attingitur , cumqve dolorem exinde percipient ægroti , statim  
alio baculo eodem modo formato & in mel rosatum intincto , ulcus  
tangendum est , idqve sæpe cum fructu adhibitum observavit. Non-  
nulli solùm candelam ceream  $\circ$  amygdal.dulc. illitam œsophago im-  
mittunt. Agaricum trochiscatum nobilissimum remedium vocat *I. c.*  
*Sorbait* , si vel gargarismis admisceatur , vel ad  $\exists$ j. sumatur ; sicut &  
ejus usum *Schenckius* historiâ ex *Douyneto* allatâ , quam *Riverius* quo-  
que adducit, confirmat. Si tumor in faucibus conspicuus , qvidam  
eum instrumento acuto ligneo vel ferreo aperiri jubent. Plura vide  
apud alios.

§. XL. Dum abscessus rumpitur , cavendum sedulò , ne pus  
in pulmones aut œsophagum ruat , unde *prono capite* omne id efflu-  
re sinat æger , vel expuat : quo factò ulcus abstergatur gargarismo ex  
hydromelite , vel  $\nabla$ a faccharatâ , vel decocto hordei cum melle ro-  
fac. vel lacte cum faccharo &c. quæ si ob ulceris sorditatem non suffici-  
ant , ad fortiora detergentia & putredini resistentia accedendum ,  
usurpando vel gargarisma à *Sennerto* & *Riverio* descriptum , ex fol.

scabios. agrimon. fad. aristol. long. irid. Florent. fl. rosar. rubr. muc.  
cupress. & myrrhā in hydromelite coctis ; vel lacteum *Mynsichti*  
*pag. 402.* Post deterisionem hanc *consolidatio* ejus promovenda. Lac  
chalybeatum commendat *Platerus*, vel cui radix consolid. incocta,  
aut bolus commixta. *Sennertus* linctum ex bolo armenā cum melle  
vel syrupo rosat. it. pulv. ex myrrha, thure, rosis & bolo armen. ordi-  
nat. *Rulandus* gargarismate ex ▽ā mulsā, in qva chalybs aliquoties  
extinctus, utitur *Cent. II. cur. 62.* it. alio ex decocto herb. plantag.  
cum radice & fol. quercus parato, cui diamoron additum. *Cent. VI.*  
*cur. 81.* Si verò in exterioribus partibus abscessus enatus, more alio-  
rum tractandus ille. Nonnunquam tamen præter expectationem  
nostram evenit, ut inflammatione remittente tumor nec resolvatur,  
nec suppuretur, sed potius durior evadat, ubi cataplasma emollien-  
tia & resolventia fortiora reqviruntur, quale illud est, qvod *River. in*  
*Praxi pag. 295.* præscribit.

§. XLI. Nobile adhuc & generosum remedium supereft , ad  
qvod in extremo necessitatis casu confugere jubent ejus Patroni ,  
quando scil. præsentaneum suffocationis periculum urget , & me-  
tuendum ne anteqvam materia discutiatur aut suppuretur, æger stran-  
gulatione pereat, cùm melius sit anceps remedium experiri, qvā nul-  
lum. Nominatur id communiter *λαρυγγοτομία*, juxta alios rectius  
*Βεγγχοτομία* vel *Τεργχιστομία* ; minùs convenienter *Φαρυγγο-  
τομία*, qvum non gulæ , sed asperæ arteriæ incisio sit, loco convenien-  
ti & periti Chirurgi manu facta. Operationem hanc ut crudelem ni-  
mis ac periculosam, nî prorsus vanam , cum *Aretæo* & *Aureliano* re-  
jiciunt nonnulli, plures tamen eam opprobant. *M. Aurel. Severin.*  
in sua *effic. Med.* integrum de ea caput habet, *pag. 93. & 94.* ubi va-  
rios Autores recenset sententiæ posteriori addictos , eamqve exem-  
plis confirmat. *Magnus Barthol. Cent. I. ep. 86. p. 333. Spigelii & Severini*  
experientias adducit ; post verò varia circa illam dubia mo-  
vet, eorum resolutionem solidam & candidam à *Renato Moreau* expe-  
tens, qui idipsum in *seq. Responsoriâ* præsttit, ubi simul testatur , se o-  
perationem hanc in *Hortulano* qvodam & milite feliciter exercuisse.  
Sic *Excell. Dn. D. Praeses olim Patavii in Nosocomio à Cel. Marchetti in*  
*anginoso* qvodam eam vidit celebratam. Calculo albo etiam no-  
tant

tant eam Roderic. à Fonseca Tom. I. Consult. Med. 22. p. 156. Sebiz. Manual. Med. Pract. p. 531. Nob. Amman. in Parænesi p. 420. D. Paulus de Sorbait. p. 729. Sennert. quæst. 5. p. 126. & alii, ut Veteres, ab his jam adductos, taceam. Operandi modum describunt Renat. Moreau l. c. & ex eo Hornius in Microtechn. p. 127. Fabr. Hildan. in Oper. Chir. Frider. Monav. Tr. pecul. de Bronchotome, Scultetus in Armam. Chir. part. I. Tab. 34. fig. 1. & seqq. & nuperrimè Lamzweerd in Append. ad Armam. hocce, qui à p. 195. usq; 205. fusè de remedio hoc agit, ejusque usum exemplis aliquot illustrat. Interim cùm Operatio ista non minus rara sit, quam periculosa, ad eam exercendam non facile deveniendum esse cum citato D. Sorbait. p. 306. judicamus. Caveat imprimis Medicus is, qui famæ suæ curam gerit, ne in nostris regionibus, ubi generosiores eiusmodi Operationes, ceu crudeles, nimis exosæ, & Chirurgorum manus rudiores sunt, proprio ac temerariò ausu illam aggrediatur; Verendum enim, ne, si sinister eventus, ex alio licet casu, superveniat, existimationis suæ jacturam patiatur extremam. Quod si verò æger ipse aut adstantes affines remedium hoc anxiè efflagitent, non nisi periculo priùs exposito & prognostico munitus, vel aliis simul in consilium adhibitis, ad illud se accingat, ut, si fortean successus non respondeat, à culpa liber vivat, nec calumniis se exponat hominum.

§. XLII. Non verò solis externis, quæ hactenus prolixè explicata sunt, insistendum, sed interna etiam conjungenda: inter quæ omnem ferè paginam absolvunt diaphoretica & sudorifera varia, cum bezoardicis, si malignitatis suspicio adfit, commixta, quorum agendi modum jam §. 23. brevibus innuimus, & fusius delineant Sylv. I. Prax. c. 40. §. 35. seq. p. 689. ut & Decker in Exerc. suis p. 54. Potiora ex tripli- ci Regno desumpta sunt dent. equi mar. mandib. lucii pisc. oculi ♂, ebur & C. C. s. Δe, corall. & margar. orient. ppt. Mperlari. unicornu verum & fossile, lap. bezoar orient. & occid. os de corde cervi, pulve- res bezoardici variii, ♂ diaphoret. bezoardicum minerale simplex, & composita cum Θe, Δa, γe &c. pulv. pannon. rub. ♀ nativ. & ♂ij, spe- cific. cephal. D. Michael. M. S. & Ræ bezoard. variæ, Liquor & Ræ dia- phoret. Mysichti ab ipso in hoc affectu laudata, ~ theriacal. simpl. & camphorat. & C. B. scordii, scabios. scorzoner. sambuc. & innu- mera alia ab Autoribus memorata.

§. XLIII. *Diuretica* etiam illa , quæ  $\square$ am movent , & cum se-  
rosis superfluitatibus simul materiam morbificam , si natura eam per-  
vias has excludere intendit , aut morbi reliquias eliminant , heic lo-  
cum merentur ; qualia sunt  $\sim \Theta$ is &  $\Theta$ li acidi vel dulcificati aut  
cum  $\nabla$ a appropriata temperati , quos supra §. 34. ex *Riverio laudavi-*  
*mus* ; quò etiam spectat  $\sim \Theta$ is tantillo  $\Theta$ is  $\text{¶}$ ri infractus & torna-  
 $\text{Q}$ is coloratus , qui nonnullis , teste *Excellent. Ludovici in Dissert. Phar-*  
*mac. I. p. 454.* speciali  $\text{R}$ æ aperitivæ nomine venit , it. ex  $\text{O}$ o &  $\text{¶}$ o  
præparata varia ,  $\text{O}$ diat. lapis prunellæ ,  $\text{¶}$   $\text{O}$ tus *Mynsichti* ,  $\sim \text{O}$ i dul-  
cis ,  $\text{¶}$ i rectificat. clyssus  $\text{O}$ ij  $\text{¶}$ atus &  $\text{¶}$ eus , similiaque .

§. XLIV. Semper autem in morbis simul attendendum ad ce-  
tera *accidentia* , iisque , si mali quid inde metuatur , mature succur-  
rendum . Sic *febri* , seu primaria sit illa seu *symptomatica* , obviam  
itur tum sudoriferis & bezoardicis §. 42. enumeratis , tum alterantibus  
& confortantibus , ex  $\nabla$ is  $\text{Q}$ atis borrag. bugloss. rosar. cerasor. nigr.  
cort. aurant. namphæ , typharum & de corde cervi , cordial. H. S. ci-  
nam. simpl. & borragin. lil. convall. &c. pulv. cordial. spec. diamar-  
gar. & de gemmis frig. magister. cordial. perlar. corallor. confect. Al-  
kermes ,  $\sim$  rosar. rubi idæi , eff. ambræ ,  $\text{R}$  fl. 4. cordial. &c. de qui-  
bus ex professo in doctrina febrium agitur . Celebris etiam pulvis  
*Canischiensis* dictus , qui ex lap. prunell. p. jv. Zingiber. p. ij. & cinam.  
p. j. constat , & in morbo Hungarico specificè extollitur . Ex iisdem  
ingredientibus constat secretum illud Antifebrile ( ipsi Panacéa di-  
ctum ) eremitæ cujusdam in magna Polonia , cuius beneficio singula-  
ria præsttit ; vid. *Fascicul. medicam. sing. Ann. VI. & VII. Ephem. Germ.*  
*annex. p. 169.* Dolor si excruciat *in faucibus* , is internè gargarismate  
vel ex solo lacte tepido , ubi caprinum quidam præferunt , vel in quo  
rad. liquirit. jujub. passul. & alia lenientia cocta , mitigandus ; exter-  
nè autem linimento ex  $\text{o}$  amygdal. dulc. violar. &c. si *cardiacus* est ,  
præcipitantibus corrigendus , ubi laudandus venit pulvis  $\text{¶}$  tans *Ex-*  
*cell. Wedelii* ex conchis , lap.  $\text{¶}$ . cum pulv. bezoard. ol. caryophyll. &  
opio parùm , descriptus in *Opiolog. p. 115.* *Lingva arida* & *fissa* demul-  
cenda iis , quæ substantialiter humectant , qualia in specie sunt muci-  
laginosa , v. g. mucilago sem. psyllij , cydonior. althææ , cum  $\nabla$ a cor-  
tic. nuc. semperiv. plantag. &c. extracta , addito  $\text{O}$ o  $\text{O}$ iat. aut simi-  
li , it. rob diamoron. Syr. violar. &c. Nec inutilis erit gargarismus de-

auricu-

auricula Judæ *Mynsichti*. Mindererus lardum recens non salitum lingvæ impositum, vel butyrum recens, cui loco Θis communis Om præparatum immistum, ei inunctum, inter alia communia euporista commendat: *Lentore autem albo obducta* beneficio instrumenti ab eo liberanda, de quo §. 36. *Sitim fallunt tum julapia* s̄avissima, qualia *Sylvius lib. I. Pnax. c. i. §. 12.* & alibi ordinat, tum lapis prunellæ, Trochisci de *Do Mynsichti*, rotul. refrigerantes *eiusdem*, & similes in ore detenti. In virium debilitate epithemata cordi & pulsibus una cum sacculis confortantibus imponuntur. Reliquis ex propriis fontibus succurrimus; omnia enim heic adducere, dum brevitati studemus, non licet.

§. XLV. His coronidis loco adnectere placet catalogum eorum, quæ singulari quadam, occultâ & specificâ vi anginæ mederi creduntur, quamvis multa ex manifestis id agant causis, & à *Sennero*, *Sebizio*, *Hoffmanno*, aliisque recensentur. Sic cineres hirundinum, cancrorum, cochlearum, cuniculi, noctuæ &c. insufflati, aut melle excepti & illiti ob vim abstergendi, & discutiendi, quam à Θe habent, profundunt; sicut eadem ratione pulvis millepedum seu asellorum, à *Magni Rolfincio* in *Epitome* allegatus, conductit. Stercera animalium exsiccata, ut hirundin. (cujus respectu nidus harum confert, vid. *Sennert. quest. 4.*) columbar. anserum, canum, gallinar. &c. ob Θ Osum in iis delitescens valent. Imprimis stercus album ex albo cane eligit *Hoffmannus noster*, quod canes isti melioris sint conditionis, & in albo stercore Θ abstergens, discutiens, aperiens, resolvens volatile contineatur, quod in diebus canicularibus, cum canum natura tunc exaltetur, penetrantius & subtilius evadat; vid. *Clavem cit. p. 647.* Rasura dent. castorei in *fuscabios*. propinata, apri cum amygd. dulc. & faccharo canto exhibita, arcani loco habentur. Rubetam coctam & pro emplastro impositam adeò anginosis prodesse scribit *Cardanus lib. 7. de variet. rerum c. 26.* ut etiam quendam jamjam moriturum hoc auxilio liberarit. Quò spectat Emplastrum magneticum *Excell. D. Andr. Knöfelii*, teste *Fr. Hoffmanno* in *M.M. p. 306.* ex bufone siccato & succino, in *Tr. Method. Med. febr. malign. p. 109.* & in *fascicul. medicam. singular. Ann. VI. & VII. Ephém. German. annexo p. 33. descriptum.* Bufo enim similitudine substantiæ fermentum malignum & venenatum extrahere dicitur. Fungus sambucinus coctus & bibitus

bibitus vel foris etiam impositus laudatur. Secretum *Guntzmanni* apud *Hartmann.* in *Praxi* ex succo  $\textcircled{S}$ , semper viv. &  $\Theta$ \*co paratur. Exuvias serpentis in  $\textcircled{o}$  amygd. dulc. coctas prædicant, si linteum oleo illi intinctum collo circumponatur. Sed an vis illa ab exuviis, an ab oleo potius arcessenda sit, alii determinent. Sic etiam amuletorum loco quædam commendantur, e. g. filum, quô rubeta suspensa interiit, à *Cardano* l. c. it. agni lana cum corio collo appensa ab *Hoffmanno* in *Clave* p. 641. De filo purpureo, quô viperæ strangulata est, ejusque usu, lectu dignissima habet *Illustris Barthol. Cent. IV. hist. anat.* 73. p. 379.  $\textcircled{S}$  seqq. ubi varias hujus effectus causas & curiosa plurima adducit. Aliqui caput viperæ collo appendunt. *D. Paulus de Sorbait* cum Catholicis nullam his amuletis fidem adhibet, sed potius ad candelam *S. Blasii* collo applicatam, velut amuletum spirituale, patientes confugere jubet, in *Med. Pr.* p. 731. num rectius, cordatores judicent. An autem veri quid subsit, quod pullus hirundinum comestus per totum annum ab angina præservet, de quo *Celsus lib. IV. c. 4.* eademque virtute gaudeat lignum hederæ, adeò, ut qui cochleari & poculo ex eo factis utatur, nunquam aut raro in apostema gutturis aut uvulae incidat; item quod singulariter conferat lupi guttura seu aspera arteria, si anginæ affectus per eam bibat, aliis experundum relinquimus.

§. XLVI. Interea dum hæc à Medico prudenti peraguntur, æger & adstantes, ex monito *Hippocr. sect. i. aph. i.* officio suò ritè fungi debent, ne excessu quodam in sex rebus non-naturalibus commisso, in curationis opere turbetur natura, ejusque minister Medicus. Hinc aërem eligat purum & temperatum patiens, vitando eum, qui fauces exasperare aut aliò modò lädere potest. Ex *Jouberti* mente „angina aërem sibi postulat frigidorem, quia, cùm multoties inspi- „rari non possit, parcior necessitati abundè satisfactus est, qui, dum „loca inflammatione obsessa permeat, egelidus fit; cap. i. de thorac.“ „affect. Etsi enim febris, quæ interdum conjuncta, frigidiusculum „non admittat aërem, præstat tamen locum non calefieri, ubi æger „jacet, & ipsum idcirco melius tegere convenerit, ut utrique inten- „tioni satisfiat, monente idipsum *Höfero* l. c. p. 94. Viētu utatur te- nui, qualis est tremor ptisanæ, brodium carnium & juscula pullor. gallin. capon. & similia confortantia, Krafftbrühen / oya sorbilis, quin

quin & carnes pullor. gallinac. si appetantur, concedi possunt. Non  
verò aromatibus nimis condita sint; sed potius alteranda juscula re-  
frigerantibus, fol. lactuc. acetof. succo citri rec. &c. Potus sit juscula ave-  
nacea, v̄a mulsa, decoct. hordei per se aut cum liquirit. passul. edul-  
cat. ut & cerevisia tenuis, cui Ræ cordiales & refrigerantes instillari  
possunt. Vinum, imprimis generosius, exulet. Nonnunquam tamen  
evenit, ut deglutitio extremè læsa sit, ut nec solida nec liquida assu-  
mere possit æger, quô in casu catheterem, cui syringa adaptata, in  
œsophagum immittendum cum aliis svadet *Riverius*, ut h. m. juscula  
& alia remedia in ventriculum demittantur, id quod in quodam an-  
ginâ verâ correptô felici cum successu idem præststit *Cent. III. obs.*  
*72. p. 626.* Dubitant verò nonnulli, an tutò ejusmodi cannula fauci-  
bus inflammatis indi possit, unde cum cautela hac admittunt, si ad  
partem hanc non pertingat inflammatio: verendum enim, ne ex irri-  
tatione major noxa oriatur. Hinc ad periculum hoc evitandum aliud  
commendant instrumentum; sc. vesicam bubulam ad modum clyste-  
rum alligant fistulæ, eamque succo nutritente implent. Fistulam hanc  
non gulæ immittunt, sed ejus extremitatem solum initio gulæ appo-  
nunt, pòst cum impetu comprimunt vesicam, ut sic liquor profiliens  
per œsophagum ad ventriculum detrudatur; quô ipso remedio despe-  
ratos quosdam ex fame restitutos vedit *Capivaccius*. Non omne ta-  
men suffocationis hinc metuendæ periculum heic quoq; videtur ab-  
esse. Alii demum confugiunt ad *Clysteres nutrientes*, de quibus maxima  
controversia inter Autores agitatur, dum quidam cum *Helmontio* o-  
mnem nutritionem illis denegant, qui in specie *Tr. de febrib. c. 7. §. 16. &*  
*seq. pro more suo nimis licentiosè in eorum defensores debacchatur*;  
plures verò aliqualem nutriendi vim attribuunt. Utrorumque ratio-  
nes adducere & examinare nimis longum foret, unde hujus rei cupi-  
dos ad *Roder. à Fonseca Consult. cit. Jul. Cæs. Claudin. de ingressu ad in-*  
*firmos p. 327. D. Paul. de Sorbait p. 730. Mynsicht. in Armam. p. 427. Re-*  
*gner. de Gräff in Tr. de clyster. p. 191. Sennert. in institut. Med. pag. 1231.*  
*Decker. in Exerc. p. 390. & seqq. Hoffmann. in M. M. p. 125. Riverium in*  
*Praxi, aliosque, qui argumentum hoc in scriptis suis tractant, remitti-  
mus. Sufficit nobis, non citra singulare ægrorum commodum, do-  
cente experientia, illos saepius fuisse infusos, dum præter refectionem*  
*virium, quam inde sentiunt æ gri, omnesque concedere coguntur, ad*

fuftentationem quoque faciunt , sicut exemplò cujusdam monialis probat laudatus *Fonseca* , quæ , cùm deglutire non posset , horum beneficio ad nonum usque diem in vita servata est . Parantur communiter ex illis , quæ citra præviam difficultorem concoctionem in nutrimentum cedere possunt , ut sunt jura carnium , caponum , pullor . gal- lin , tremor hordei & ptisanæ cum lacte & vino , vitellisque ovorum ; sicut formulæ tales apud Autores nominatos prostant . Notandum verò , ante horum injectionem intestina *clystere* quodam *emolliente* & *laxante* à fôrdibus nonnihil eluenda esse . Sic etiam odores carnium affatar . vel panis calidi , ad virium conservationem aliquid conferre , exemplo *Democriti* constat , de quo *Diog. Laertius lib. IX.* refert , quòd foror ejus , ne in Ceteris festo moreretur , eum adhuc per triduum odore panis calidi sustinuerit .

§. XLVII. *Somnum* ut in aliis inflammationibus internis , ita & in Angina fugiendum monent Autores , præprimis si respirationis læfio gravior adsit ; dum enim in somno sanguis magis intro repit , suffocationis periculum timendum , si illi indulgeat patiens . Hinc *Amat. Lusitan. cent. I. curat. 40.* consuluit anginoso cuidam , ut parùm dormiret , quò ipso à morbo liber evasit ; vid . *Nobil. D. Schneider. Tr. de morb. capit. lib. I.c. 4. p.28. River. in Pmxi, Hoffmann. in M. M. aliasqué.* Talem corporis positum observet æger , à quo se levari persentiscit . *Quies* vigente morbo syadenda , imprimis *silentium* , ne loquacitate faucibus afflictis majorem addat afflictionem . *Joubert. l.c.* in principio quietem tam necessariam esse asserit , ut , dum fluxus humorum fit , ne linguam quidem vel movendo , vel loquendo , vel masticando , quis commoveat , imò neque gargarisando gutturis & fauci pars exagitet ; citante *Höfero loco alleg. p. 92.* Sunt tamen , qui in declinatione ad apostematis ruptionem *vociferationem* commendant . *Alvum apertam* esse in omni morbo bonum , effato *Senis* nostri ; unde quum officii sui non raro heic immemor esse soleat , suppositorio vel clystere laxante admonenda , de quo §. 32. etiam monitum . Ab omnibus tandem *affectibus* animum , quantum possibile , liberum gerat , ut nec ira excandescat , nec mœrore aut tristitia se magis angat ; sed potius morbum immissum patienter toleret , non dubitans , quin , Deo curæ benedicente , exoptatus ejus subsecuturus sit

F I N I S.  
MONITI MELIORA!

**Q**uam multi subito periēre, An-  
gina, saluti  
est, BECKERE, Tibi: stran-  
gulat illa alios,  
ast mediante ipsā melius spiras ad ho-  
nores.

**D**icitur quod mala quæ multis, sunt bona,  
suntque Tibi.

Gratulab. deprop.

PRÆSES.

**V**iderat eximios ausus cum Lipside Jena,  
non unā vice publicitus mirata profectus;  
ingenii vires huic matri utriqve probatæ.  
Ergò adeò Phœbus merito signare brabéo  
tam doctum jussit caput & sociare medentum  
Doctorum lateri. Laudes ipse undulat æquus  
Sala pater, plaususqve suos conjungere gestit.  
Vade bonis avibus, stratoqve insiste decori;  
Sic nova cottidiè venient tibi pondera honorum!

Nobil. & Clariss. Dn. BECKER O, Medicinæ  
Doctorando dignissimo, novos qvos ca-  
pessit honores ex animo gratulor, & fa-  
ventem Hygeiam exopto

Georg. VVolfsg. VVedelius, D.

Metæ

**M**eta stat : ex merito decreta est  
debita palma.

**BECKERO:** Patriæ hanc opto saluti-  
feram !

Optimè meritos honores Nobilissimi Dni Doctorandi,  
Amici singulariter colendi , felicissimos precatur

**Augustinus Henr. Faschius, D.  
P.P. & Archiater Ducalis Saxonius.**

---

**V**iderat assiduum per regna tricorpora mundi  
BECKERUM Medicina suum contendere cursu  
improbo, & eternas artis conqvirere merces.  
Nunc diadema parat , qvō cingat tempora docta,  
& capiti imponit partam sudore coronam.  
Grator : & in Praxi successus comprecor amplos.

Amico suo conjunctissimo gratulabun-  
dus applaudebat

**Johannes Ernestus Grausold**  
Med. Ddus.

**F I N I S.**

